

**Observationes zoologicae criticae in Aristotelis historiam animalium /
Scripsit Arend Frider. August. Wiegmann.**

Contributors

Wiegmann, Arend Friedrich August, 1802-1841.

Publication/Creation

Lipsiae : In commissis I.C. Hinrichs, 1826.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qtce5rxq>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



o/c



Digitized by the Internet Archive
in 2016

OBSERVATIONES
ZOOLOGICAE CRITICAE
IN
ARISTOTELIS HISTORIAM ANIMALIUM.

Observations
on the
Political and
Economic
State of
the
United States
in
1790

OBSERVATIONES
ZOOLOGICAE CRITICAE

IN

ARISTOTELIS HISTORIAM ANIMALIUM.

SCRIPSIT

AREND FRIDER. AUGUST. WIEGMANN

PHILOS. DR.

LIPSIAE,
IN COMMISSIS I. C. HINRICHS.

BEROLINI, TYPIS ACADEMICIS.

MDCCCXXVI.

2757



VIRIS

OPTIME DE ME MERITIS

FRIDERICO AUGUSTO MENKE

PHIL. DR. GYMN. BREM. PR.

QUI PRIMUS ME AD ANTIQUITATIS STUDIA DUXIT

NEC NON

HENRICO LICHTENSTEIN

MED. DR. ORDIN. AB AQUILA RUBR. EQUITI. MUS. ZOOLOG. DIRECT. ZOOLOGIAE PROF. P.O. ETC. ETC.

QUI ZOOLOGIAE FONTES LARGISSIMA MANU MIHI APERUIT


PRAECEPTORIBUS AD CINERES USQUE COLENDIS

SACRUM ESTO.



Quum hoc sibi propositum habeant philologi, ut in omnes antiquitatis partes diligenter inquirent, nec propter immensam rerum copiam ab uno omnia possint tractari, unusquisque pro ingenio et ut animo libitum erat, partem sibi elegit, quo studium operamque conferret. Multi rerum publicarum instituta, multi philosophiam, alii ipsum veterum populorum sermonem ad intima usque principia illustrarunt, sed pauci admodum inveniuntur, qui zoologiam veterum tractaverint, quamvis haec etiam ad antiquitatem pertineat. Nec mirum, nam utraque studia nimis inter se remota sunt, quam ut ab uno bene possint coniungi. Sunt tamen, qui feliciter et maxima cum laude in utroque stadio certabant. Quis enim magna Gesneri, Scaligeri ac summi Schneideri nomina ignoret? At hoc paucis contigit. — Provinciam a philologis neglectam zoologorum multi, licet haud pari omnes successu, usurparunt, nec qui principes merito iudicantur, in iis defuerunt. Sed quum hi magis disquirerent, quatenus veteribus nota fuissent animalia, nec verba scriptorum, an genuina essent, nimis curarent, factum est, ut multa in huiusmodi scriptis restent, quae et correctorem et saepius etiam interpretem desiderent. Hoc imprimis intellexi, quum Aristotelis de animalibus historiam tractarem. Saepissime in maximas difficultates incidi, a celeberrimis editoribus praetermissas. Quod eo magis miror, quum summi viri huic operi maximam curam impenderint. Nam quum ceteri Aristotelis de physicis libri non nisi veterum interpretatione instructi sint, animalium historia accuratissimos invenit interpretes. Scaliger perpetua annotatione eam instruxit, Camus postea atque celeberrimus Schneiderus textum ex libris emendare et omnia explicare studuerunt. Cel. Strackius, eam in vernaculam transtulit notisque illustravit. Nihilominus multa annotavi, quae vitiosa mihi et obscura viderentur, ut, si quondam fieri posset, ad ea illustranda pro viribus conferrem. Haec carptim antea, ut quae maximi viderentur momenti, publico iudicio proponere constitueram, postea tamen sententiam mutavi. Quum sic enim nonnulli facillima quaeque sibi eligere, difficiliora saepius silentio praeterire soleant, ne talem suspicionem mihi

iniungerem, duo libri secundi capita elegi, de quibus uberius dis-
sererem. Sic maxime me credo ostensurum, quid interprete, quidve
correctore indigeat. Nec vero, quae ab aliis iam satis expli-
cata, vel in integrum restituta inveni, ea iterum attigi, nisi vi-
rorum doctorum sententias additis nonnullis magis confirmare po-
tui. Quoad textum, suspecta quaeque in discrimen vocavi, ut de
iis alii iudicarent, qui meliori sermonis rerumque scientia instructi,
maiori critico apparatu utuntur. Mihi enim codices inspicere non
licuit, nec nisi ea comparavi, quae de varia lectione a celeberrimis
editoribus, Camo ac Schneidero, adnotata inveni. Quibus vero illi
tam dextre usi sunt, ut fere nulla inveniatur varietas, quam non,
si modo digna erat, in textum receperint. Ideoque ignoscant mihi
viri docti, quod alia saepius aliorum iudicio relinquere coactus sum,
in aliis meras tantum coniecturas protuli. Haec de huius opusculi
consilio atque ratione praefari volui, ne quis maiora de me expecta-
ret, quam potui praestare. Nam perbene scio, at serius intellexi,
me difficiliora, quam pro viribus suscepisse. Attamen eos, qui rei
difficultatem noverint, aequiores de me iudices futuros spero, quam
egomet mihi semper eram, praesertim si considerent, me iuvenem
et tirocinio nondum deposito ad ea accessisse, quae alii in matu-
riorem aetatem sibi reservabant. Illis vero, qui, quid quisque pro-
fecerit, magis, quam quid praestare potuerit, considerare solent,
summi Schneideri verba, quae in praefatione de hoc opere Aristoteli-
co scripsit, repetere non alienum erit. Is enim, ut de veterum
scriptis, ita de historia naturali optime meritus, talia dixit: „Ve-
rum in hoc Aristotelis opere accessit maior difficultas ab argumento
tam vario et tam amplo, ut plus quam hominis vitam unius exigere
videatur, si quis in eo explicando atque illustrando recte et cum
laude versari velit. Complectitur enim immenso ambitu universam
animalium naturam, easque simul corporis et humani et reliquorum
animalium partes enarrat, quae peritiam historiae non solum natu-
ralis, sed etiam anatomicae ab interprete eo flagitant, qui recte mu-
nere suo fungi velit.” — Sed ad rem.



CAP. I. §. 1. *ed. Schneid. in fine.*

Καὶ ὁ μὲν λέων τὸ τοῦ αὐχένος ἔχει ἐν ὀστέῳ, σφονδύλους δ' οὐκ ἔχει· τὰ δ' ἐντὸς ἀνορθοῦσιν ὅμοια ἔχει ἅπαντα κυνί. Scaliger: „Leonis cervix nullis vertebris, unico tantum osse constat: at interiora omnia similia caninis continentur.” — Nihil de hisce Scaliger, nihil ceteri interpretes adnotant, praeter cel. Strackium, virum mihi carissimum, qui in notis breviter de eo disseruit. Leoni, ut ceteris quadrupedibus ⁽¹⁾, quae animal pariunt, septem in collo vertebrae esse, nemo nescit. In hoc enim magna naturae constantia. Qui vero fiat, ut leonis collum ex unico osse constare dicatur, silentio praeterire nequeo. De integritate loci non potest dubitari. Non solum alius ipsius Aristotelis locus, sed etiam Aelianus, qui nostrum sine dubio sequitur, idem refert. Cel. Strackius ab Aristotele forte leonem dissectum putat, in quo colli vertebrae anchylosi in unum concreverint. Quod quidem in nonnullis animalibus, vel legitime, fieri scio, ut in dipodum genere, at magnopere vereor, ut in leone unquam acciderit. Sed ut anchylosis in illo leone exstiterit, iuncturae certe vestigia adfuissent, quae quomodo Aristotelem fallere potuerint, non video. Certe non dixisset σφονδύλους οὐκ ἔχει. Nam vertebrarum vestigia accuratius attendenti statim apparent. Quod etiam in illis observare licet ossibus, quae quamvis ex pluribus composita, iam unius ossis nomine appellantur. Ossa sacra dico, in quibus vertebrarum vestigia tam bene percipiuntur, ut spuriae vertebrae iure a multis dicantur. Hoc primum est, cur cel. viro non assentiar. Deinde id quoque me dubium retinet, quod philosophus alio in loco idem de lupo memorat ⁽²⁾.

(1) Exceptis nonnullis, quorum nomina in quavis zootomia invenies.

(2) De part. anim. IV. c. 10. p. 632. C. ed. Casaub. *) ‘Ο δ’ αὐχὴν τῆς ἀρτηρίας χάριν. πρόβλημα γὰρ ἐστὶ, καὶ σώζει ταύτην καὶ τὸν οἰσφαγόν κύκλῳ περιέχων. τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις ἐστὶ καμπτός καὶ σφονδύλους ἔχων. οἱ δὲ λύκοι καὶ λέοντες μόνοστον τὸν αὐχένα ἔχουσιν. ἔβλεψεν γὰρ ἡ φύσις ὅπως πρὸς τὴν ἰσχυρὴν χρῆσιν αὐτὸν ἔχωσι μᾶλλον ἢ πρὸς τὰς ἄλλας βοήθειας κ. τ. λ.

*) Eam semper adhibui editionem, quae Lugduni Batavorum a. MDXC. prodiit, quod propterea adnotandum, quia editionum Casauboni paginae vehementer discrepant.

Mirum sane, si Aristoteli accidisset, ut idem naturae vitium et in leone et in lupo deprehenderet. Quapropter si meam sententiam rogor, neque leonem neque lupum a philosopho dissectum arbitror, sed eum, quae in hominum ore erant, de hisce animalibus referre. Hoc nescio, an illa confirment, quae de leonis ossibus et in nostro opere et in libris de partibus animalium tradit ⁽¹⁾, ossa leonis medulla carere ac tanta duritie esse, ut ignem ex iis, tanquam ex silice excutere possis. Quae ficta esse, cel. Blumenbachius ostendit ⁽²⁾. Duriora quidem, quam in ceteris animalibus perhibentur ⁽³⁾, sed illud, scintillas ex iis elici, fabulam nimis redolet.

Nec sequentia τὰ δ' ἐντὸς ἀνοιχθεῖς ὁμοία ἔχει ἅπαντα κυνί meae sententiae obficere puto. Haec item ab aliis audivisse videtur. Saepius enim, quae ex aliorum relationibus hausit, tanquam ipse viderit, refert. Sic, ut e multis unum idque luculentum exemplum proferam, hippopotamum sine dubio non vidit. Nam quae de eo refert, errore repleta sunt, ut non dubium videatur, quin illa etiam ex aliorum scriptis vel narrationibus hauserit ⁽⁴⁾. Nihilominus de anatome dicit, internas partes equinis similes inveniri.

Quamobrem de leone lupoque falsam hanc opinionem pervulgatam fuisse crediderim. Si vero causam quaeris, unde talis orta sit fabula, hanc in eo sitam censeo, quod leones collum rarius vel parum in latus flectunt. Feris enim, quum ore potissimum proeliari ac praedam ferre deberent, maiori robore in collo opus erat, ut recte observavit philosophus. Huc processuum, qui transversi vocantur, magnitudinem aliquantum afferre puto. Quibus vero, quum apicibus saepius se invicem tegant, mobilitas colli ex parte vel omnino tollitur. In leone transversus secundae, tertiae et quartae vertebrae processus tantopere elongatur, ut si collum movetur, in sequentem apice, impingat. Quod for-

⁽¹⁾ De part. anim. II. c. 6. p. 603. F. ed. Casaub. "Ἐνία δ' οὐκ ἔχει τῶν ζώων, ὡς ἄξιον εἰπεῖν, μυελόν, ὅτων τὰ ὀστέα ἰσχυρὰ καὶ πυκνὰ, οἷον τὰ τοῦ λέοντος. τούτου γὰρ τὰ ὀστέα, διὰ τὸ πάμπαν ἄτημον ἔχειν δοκεῖ οὐκ ἔχειν ὅλως μυελόν.

cf. c. 9. p. 606. D. Οὕτω γὰρ ἔχει ταῦτα σκληρὰ τὴν φύσιν, ὥστ' ἐξάπτεσθαι τυπτομένων, ὥσπερ ἐκ λίθων, πῦρ. Cf. Hist. Anim. III, 7, 6. ed. Schneid.

⁽²⁾ Geschichte und Beschreibung der Knochen §. 78.

⁽³⁾ Carus Handbuch der Zootomie p. 97.

⁽⁴⁾ De Hippopotamo cf. H. A. II, 4. ed. Schneid. alior. c. 7.

tasse impedimento est, quin collum libere in latus flectat. Hoc qui intellexerunt, eum vertebris carere putabant.

CAP. I. §. 2. ed. Schneid.

Ἔχει δὲ τὰ τετράποδα ζῶα καὶ ζωτόκα ἀντὶ τῶν βραχιόνων σκέλη πρόσθια, πάντα μὲν τὰ τετράποδα, μάλιστα δ' ἀνάλογα ταῖς χερσὶ τὰ πολυσχιδῆ αὐτῶν· χρῆται γὰρ πρὸς πολλὰ ὡς χερσὶ. καὶ τὰ ἀριστερὰ δὲ ἥττον ἔχει ἀπολελυμένα τῶν ἀνθρώπων, πλὴν τοῦ ἐλέφαντος. οὗτος δὲ τὰ τε περὶ τοὺς δακτύλους ἀδιαρρότερα ἔχει τῶν ποδῶν καὶ τὰ πρόσθια σκέλη πολλῷ μείζω κ. τ. λ.

Verba καὶ τὰ ἀριστερὰ — πλὴν τοῦ ἐλέφαντος, quocunque te vertas, vitiosa invenies. Itaque iure mireris, nihil in hisce editores offendisse, praeter cel. Schneiderum, qui in auctario demum curarum posteriorr. p. 531. elephantis exemplum priori sententiae haud accommodatum videri dicit.

Summum virum recte iudicasse statim apparebit, ubi de singulis, quid contineant, quaesiverimus. Τὰ ἀριστερά omnes de sinistris s. laevi lateris membris intellexerunt. Theodorus haec ita vertit: „Partem enim laevam minus, quam homo, absolutam habent et agilem” — postremum de suo addens. Non secus cel. Scaliger: „ἀπολελυμένα absoluta ad agilitatem, non impedita.” At sic Aristotelem sibi repugnantem faciunt. Ait enim in libro de animalium incessu c. 4. (p. 455. G. ed. Casaub.): ἀπολελυμένα δ' ἔχουσι τὰ ἀριστερὰ τῶν ζώων μάλιστα ἄνθρωποι διὰ τὸ κατὰ φύσιν ἔχειν μάλιστα τῶν ζώων. φύσει δὲ βέλτιόν τε τὸ δεξιὸν τοῦ ἀριστεροῦ καὶ κεχωρισμένον· διὸ καὶ τὰ δεξιὰ ἐν τοῖς ἀνθρώποις μάλιστα δεξιὰ ἐστίν· διωρισμένων δὲ τῶν δεξιῶν εὐλόγως τὰ ἀριστερὰ ἀκινήτοτερα ἐστὶ καὶ ἀπολελυμένα μάλιστα ἐν τοῖς. Vides Aristotelem hic contraria dicere. Omnia in homine maxime secundum naturam; sinistra autem natura dextris infirmiora et magis impedita, ergo in homine maxime ad naturam, infirmiora et magis, quam in ceteris, impedita ⁽¹⁾.

Laeva igitur membrorum natura in ceteris animantibus minus atque in homine expressa et absoluta, nec sinistra membra a dextris aequae ad agilitatem distincta (κεχωρισμένα). Haec quatenus vera sint, nunc quaerere nolumus; sed potius quomodo ex sequentibus difficultatem remo-

(1) Cf. Hist. Anim. I. c. 11. ed. Schneid. c. 15. alior.

veamus. Cur elephantum excipiat, nemo mehercule dixerit, nec Scaligero quemquam fidem habiturum credo, licet nodum sibi videatur solvisse. „Quomodo excipit elephantum,” inquit, „qui habet etiam ἀδιάρθρωτα? Quia illae bestiae sinistrum tantum habent rudius, elephantus autem utrumque.” Haec ineptissima esse, nemo non videt. Si cetera animalia sinistra minus habent quam homo absoluta i. e. impeditiora, ut placet Scaligero, elephantus non ita, huic sinistra aequae absoluta sint, necesse est, atque in homine. Alteram sententiam nemo, opinor, e philosophi verbis eruere poterit. Itaque sponte intelligitur, vitiis laborare locum et procul dubio a librariis depravatum esse.

Verba πλὴν τοῦ ἐλέφαντος si quis in dubium vocare vellet, primum in ipsis nihil inesse appareret, quod vitiosum videretur; deinde si quis tanquam spuria haec et non suo loco dicta vellet resecare, sequentia hisce tam arcte cohaerent, ut omnia ad §. 3. usque eiicienda essent. Contra quae praecedunt verba eiusmodi sunt, ut suspicionem nobis moveant. Quodsi eandem continent sententiam, quam in libro de anim. incessu uberius exposuit, hic nimis obscure dicta videntur, et a perspicuitate, quam ubique in nostro opere invenimus, abhorrere. Nam res, sicut sunt, describit, a sublimi earum contemplatione plerumque se abstinens. Verum in libris de partibus ac de incessu animalium philosophica magis ratione naturam contemplatur, causas, cur sic quaeque instituta sint, diligenter requirens. Quae si ita sunt, haec verba non suo loco dicta videntur, et veri simile fit, veterem Aristotelis interpretem, quod in libro de incessu legerat, hic, ubi de discrimine inter hominem et animalia agitur, in margine adscripsisse, unde postea in textum irrepserunt. His igitur omissis, qualis verborum nexus nobis evadat, videamus: Ἐχει δὲ τὰ τετράποδα ζῶα καὶ ζωτόκα ἀντὶ τῶν βραχιόνων σκέλη πρόσθια, πάντα μὲν τὰ τετράποδα, μάλιστα δ' ἀνάλογα ταῖς χερσὶ τὰ πολυσχιδῆ αὐτῶν· χρῆται γὰρ πρὸς πολλὰ ὡς χερσὶ, πλὴν τοῦ ἐλέφαντος· οὗτος δὲ τὰ τε περὶ τοὺς δακτύλους ἀδιάρθροτα ἔχει τῶν ποδῶν καὶ τὰ πρόσθια σκέλη πολλῷ μείζω· ἔστι δὲ πενταδάκτυλον, καὶ πρὸς τοῖς ὀπισθίοις σκέλεσι σφυρὰ ἔχει βραχέα· ἔχει δὲ μυκτῆρα τοιοῦτον καὶ τηλικούτον, ὥστε ἀντὶ χειρῶν ἔχειν αὐτόν· πίνει γὰρ καὶ ἐσθίει ὀρέγων τούτῳ εἰς τὸ στόμα, καὶ τῷ ἐλεφαντιστῇ ἄνω ὀρέγει τούτῳ, καὶ δένδρα ἀνασπᾷ, καὶ διὰ τοῦ ὕδατος βαδίζων τούτῳ ἀναφυσᾷ· τῷ δ' ἄκρῳ ἐγκλίνει, οὐ κάμπτεται δέ· χονδρῶδες γὰρ ἔχει.

Sic omnia inter se apta et colligata esse ac bene procedere puto. Quae vero dicit, haec sunt: Quadrupedibus, quae animal pariunt, brachiorum loco anteriora crura sunt, omnibus quidem, sed manibus similima in iis, quae multifidis pedibus instructa sunt, ad multa enim iis, tanquam manibus utuntur, excepto elephanto. Huic vero digiti minus absoluti et antica crura multo longiora. Quinque autem digitos habet, et in posticis cruribus breves malleolos. Talem vero tantumque nasum habet, ut pro manibus eo uti possit. etc. Sic demum liquere puto, cur nasi mentionem faciat, alioquin ineptam. Hoc enim sibi vult. Τὰ πολυσχιδῆ, quae pluribus iisque discretis digitis praedita sint, anteriora crura manuum vice habere. Elephantum iure excipit, qui licet quinque digitis iustructus, non ad manuum officia anterioribus pedibus uti possit. Addit causam, quod digitos minus habeat discretos et antica crura multo longiora. Sic igitur manus ei a natura denegata videretur, nisi aliud quoddam, et quidam maximae dexteritatis membrum ei condonasset, proboscidem puta, cuius mirabilem praestantiam iam uberius prosequitur. Nihil hac observatione frequentius quum apud ceteros zoologiae scriptores, tum apud ipsum philosophum ⁽¹⁾. Plinius proboscidem haud improprie manum vocari testatur ⁽²⁾. Eandem bis manum appellat ⁽³⁾. Qui vero locus maximi momenti videtur, in altero de partibus libro (c. 16. p. 610. A. ed. Cas.) legitur. Is quum plane geminus sit et nostrum penitus illustret, eum integrum hic apponere non alienum duco. Verba haec sunt: Ὑπάρξαντος οὖν τοιούτου τοῦ μυκτῆρος ἡ φύσις παρακαταχρῆται, καθάπερ εἶωθεν ἐπὶ πλείονα τοῖς αὐτοῖς μορίοις, ἀντὶ τῆς τῶν προσθίων ποδῶν χρείας· τούτους γὰρ τὰ πολυδάκτυλα τῶν τετραπόδων ἀντὶ χειρῶν ἔχουσιν· ἀλλ' οὐ μόνον ἔνεχ' ὑποστάσεως τοῦ βάρους. οἱ δὲ ἐλέφαντες τῶν πολυδακτύλων εἰσὶ καὶ οὔτε διχήλους ἔχουσι, οὔτε μώνυχας τοὺς πόδας. ἐπεὶ δὲ τὸ μέγεθος πολὺ καὶ τὸ βάρος τὸ τοῦ σώματος, διὰ τοῦτο μόνον ἐρείσματός εἰσι χάριν καὶ διὰ τὴν βραδύτητα καὶ τὴν ἀφυΐαν τῆς κάμψεως οὐ χρήσιμοι πρὸς ἄλλο οὐδέν κ. τ. λ.

Vides hic fere eadem dici, et elephantum in eorum numero poni, quae quinque digitis instructa sunt. Qui vero fiat, ut philosophus eum inter τὰ πολυσχιδῆ numeret, dubitare possis, quum digiti eorum cute ob-

⁽¹⁾ Cf. Hist. Anim. I, 9, 5. ed. Schn. De part. anim. IV, 12. p. 637. A. ed. Cas.

⁽²⁾ Plin. hist. natur. VIII. §. 10. ⁽³⁾ Idem ibid. §. 12.

voluti vix in conspectum veniant; praesertim quum et ipse Aristoteles (III. c.9.) et Aelianus ⁽¹⁾ huius rei meminerint. Mirum sane elephantos a philosopho inter multifida recenseri; at ita est. Nam in quarto de partibus anim. libro hoc diserte dicit ⁽²⁾. Sic igitur nihil restare puto, quod offendere queat, et omnia bene cohaerere arbitror. Miror tamen, quod de ungulis nihil dixit, quae multo magis, quam digiti in conspectum veniunt. Hi enim cute tantopere obtecti sunt, ut non nisi ungularum e callositate prorumpentium apice appareant. Quae quum ita sint, magnopere vereor, ut illa philosophi verba, quae h. a. III. c. 9. leguntur, a corruptela vacent. Τῶν δ' ἐχόντων ὄνυχας (ἔχει δὲ ὄνυχας) ἅπαντα, ὅσα δακτύλους, δακτύλους δὲ ὅσα πόδας, πλὴν ἐλέφας. οὗτος δὲ καὶ δακτύλους ἀσπίστους καὶ ἡρέμα διηρθρωμένους καὶ ὄνυχας ὅλως οὐκ ἔχει. κ.τ.λ. In hisce cel. Camus vbb. δακτύλους δὲ ὅσα πόδας, quum falsam contineant sententiam, tanquam spuria resecat, nimia opinor licentia usus. Nam in iis certe nihil equidem invenio, quod Aristotele indignum videatur. Illa vero falsa, quae de ungulis digitorum tradidit. Itaque nescio, an haec e Plinio corrigenda sint, qui hunc locum solito more ad verbum reddidit ⁽³⁾: „Ungues clausulae nervorum summae existimantur. Omnibus hi, quibus et digiti”, ac non multo post: „omnia digitos habent, quae pedes, excepto elephanto. Huic enim informes, numero quidem quinque, sed indivisi ac leviter discreti, *ungulisque haud unguibus* similes et pedes maiores priores. In posterioribus articuli breves. Idem poplites intus flectit hominis modo.” Vides eum e duobus locis unum fecisse, quod saepius ab eo fieri animadverti. Illa δακτύλου — πόδας quum etiam in Plinii versione non desint, iure retineri arbitror, in sequentibus vero aliquid excidisse. Si quid coniecere licet, ὅπλας e Plinii vbb. supplendum censeo.

Sed ad nostrum locum redeo. In vbb. ἔχει δὲ καὶ μυκτῆρα τοιοῦτον καὶ τηλικοῦτον cod. Rhenanus τοιοῦτον καὶ omisit; male, nam utrumque suo loco dictum, quum alterum ad qualitatem, alterum ad longitudinem referri debeat.

⁽¹⁾ Ael. H. A. IV, 31. Ἐχει δὲ καὶ καθ' ἑκάστων πόδα δακτύλους πέντε ὑποφαίνοντας μὲν τὰς ἐκφύσεις, οὐ μὲν διαστῶτας.

⁽²⁾ De part. anim. IV. c. 10. (p. 634. ed. Cas.) Ὁ δὲ ἐλέφας δύο (μαπούς) μόνον ἔχει, τούτους δὲ ὑπὸ ταῖς ματχάλαις τῶν ἐμπροσθεν σκελῶν αἴτιον δὲ τοῦ μὲν δύο ἔχειν, ὅτι μονοτόκον ἐστὶ τοῦ δὲ μὴ ἐν τοῖς μηροῖς, ὅτι πολυσχιδής· οὐδὲν γὰρ ἔχει πολυσχιδὲς ἐν τοῖς μηροῖς.

⁽³⁾ H. N. XI. §. 101.

Καὶ δένδρα ἀνασπᾶ. Nescio an nimium robur proboscidi tribuat. Cautius certe egisse videntur, qui dentibus maximis, ex ore prominentibus, arbores ab iis erui scribunt. Cf. Aelian. H. A. VI, 56. Opp. Cyneg. vs. 532 sq., qui Aristotelis locum paulo antea eleganter reddidit:

vs. 522 sq. Τῶν δ' (ὀφθαλμῶν) ἤτοι μεσσηγὺς ὑπεκπροθέει μεγάλη ῥίς,
 Λεπτὴ τε, σκολιή τε, πρόβοσκιδα τὴν καλέουσι,
 κείνη θηρὸς ἔφν παλάμη, κείνη τὰ θέλουσι
 ῥηιδίως ἔρδουσι. ποδῶν γε μὲν οὐκ ἴσα μέτρα
 ὑψόθεν γάρ οἱ πρόσθε πολὺ πλέον αἰείρονται.

κ. τ. λ.

Quae deinde sequuntur τῷ δ' ἄκρῳ ἐγγλίνει οὐ κάμπτεται δέ· χονδρῶδες γὰρ ἔχει a cel. Schneidero optime explicata videntur. Τῷ δ' ἄκρῳ appendicem extremae proboscidis digitiformem designari ostendit, quae quidem curvari possit, verum digitorum instar, articulis carens, flecti nequeat.

Haec igitur de elephanto iam satis expedita credo. Ceterum non dubium mihi videtur, quin, quae philosophus de elephantis tradit, ea ad Indicum omnia pertineant. Hunc enim Alexandri expeditione Graeciae tunc temporis maxime innotuisse puto. In hunc etiam referendum, quod de feminis elephantorum tradit ⁽¹⁾, dentes earum deorsum vergi ac minores quam in maribus esse. Idem Corsius de Indicorum elephantorum feminis confirmat ⁽²⁾. Aelianus Africani saepissime meminit, inter utrumque iure discernens. Huic si fides habenda, nescio an illi in errore versentur, qui Africanos elephantos ab homine unquam domitos negant. Nam ille haec narrat ⁽³⁾: „Ptolemaeo Philadelpho elephantum fuisse, in Aethiopia natum, qui et consuetudine hominum et institutione mansuetissimus fuerit. Et Iubae regis patrem Libycum nutritivisse ele-

⁽¹⁾ H. A. II. §. 15. c. 3. ed. Schneid. Ὁ μὲν οὖν ἄρρεν τούτους (τοὺς ὀδόντας) ἔχει μεγάλους τε καὶ ἀνασίμους, ἡ δὲ θήλεια μικροὺς καὶ ἐξ ἐναντίας τοῖς ἄρρεσι· κάτω γὰρ οἱ ὀδόντες βλέπουσιν.

⁽²⁾ Cf. Meckel. not. ad Cuv. prael. de anatome comparata T. III. p. 171.

⁽³⁾ Aelian. H. A. IX, 58. Λέγει δὲ ὁ Ἰόβας γενέσθαι μὲν αὐτοῦ τῷ πατρὶ πολυετῇ Λίβυν ἐλέφαντα, κατιόντα ἐκ τῶν ἄνω τοῦ γένους. Καὶ Πτολεμαῖον δὲ τῷ Φιλαδέλφῳ Αἰδίῳ πα, καὶ ἐκεῖνον ἐκ πολλοῦ βιώσαντα, γενέσθαι πρῶτατον, καὶ ἡμερώτατον, τὰ μὲν ἐκ τῆς πρὸς τοὺς ἀνθρώπους συντροφίας, τὰ δὲ ἐκ τοῦ γένους πωλευθέντα. Σελεύκου τε τοῦ Νικάνορος κτήμα ἄδει Ἰνδὸν ἐλέφαντα κ. τ. λ.

phantum, natu grandem, a maioribus per manus traditum." — Haec non prorsus negligenda arbitror, quum Indici deinceps meminerit.

§. 3. *ed. Schneid.* CAP. II. v. f. *ed. Scalig.*

Μόνον δὲ καὶ ἀμφιδέξιον γίνεται τῶν ἄλλων ζώων ἄνθρωπος.

Haec verba non minori difficultate premuntur. Scaliger: „Soli homini utriusque manus aequalis usus datus est." Recte, si primariam vocis ἀμφιδέξιος notionem respicis. Nam ἀμφιδέξιος ambidexter, ut Stephanus ⁽¹⁾ scribit, is est, qui utraque manu ut dextra utitur. Solum vero hominem inter cetera animalia utraque manu sine discrimine uti, quum illis locis, quos supra attigi ⁽²⁾ tum aliis permultis contradicit, qui ubicunque in philosophi scriptis occurrunt. Homini, quum maxime ad naturam formatus esset, laevam maxime secundum naturam dixerat i. e. dextra debiliorem ac minus expeditam. Hanc Aristotelis fuisse sententiam ex illis locis satis firmum videtur, nec procul eam a vero abesse dixerim. Nam si sinistra dextris magis impedita dicere velis, hoc in hominem magis, quam in cetera animantia cadere arbitror. Animalia enim et in cursu et ad alia officia utriusque lateris membro sine ullo, opinor, discrimine utuntur. Homo non ita. Laeva manus plerumque impeditior. Quod tamen nescio an consuetudini potius, quam naturae tribuendum sit. Censor editionis Schneiderianae οὐκ ἀμφιδέξιον legere vult ⁽³⁾. Codices vero omnes veteresque interpretes in vulgata conspirant. Ideoque non temere eam reiecerim. Quidsi res aliter explicari possit? Stephanus l. c. alium Aristotelis locum affert, qui in Ethicis V, 7. legitur, his verbis: φύσει γὰρ ἡ δεξιὰ κρείττων, καίτοι ἐνδέχεται πάντας ἀμφιδέξιους γενέσθαι. „Tametsi dextra manus natura validior sit, hoc tamen omnes assequi possunt, ut utramque dextre in usus adhibeant." Fortasse haec μόνον δὲ κ. τ. λ. in eandem sententiam dicta: Homo etiam inter cetera animantia solus ambidexter evadit, ratione nimirum naturae impedimenta superans. Sic quidem explicari possunt, nisi ἀμφιδέξιος simpliciter magnam illam dexteritatem designat, qua propter manuum structuram homo inter reliqua animalia maxime excellit.

⁽¹⁾ In thesauro s. v. δεξιός. ⁽²⁾ p. 5.

⁽³⁾ *Allgemeine Litteraturzeitung*, 1812. n. 121. p. 115.

Τὰς δὲ κάμψεις τῶν κώλων καὶ τῶν ἔμπροσθεν, καὶ τῶν ὀπίσθεν ὑπεναντίας ἔχουσι καὶ ἑαυταῖς καὶ ταῖς τοῦ ἀνθρώπου καμπαῖς, πλὴν ἐλέφαντος· τοῖς μὲν γὰρ ζωτόκοις τῶν τετραπόδων πλὴν ἐλέφαντος κάμπτεται τὰ μὲν πρόσθια εἰς τὸ πρόσθεν, τὰ δ' ὀπίσθια εἰς τοῦπισθεν, καὶ ἔχουσι τὰ κοῖλα τῆς περιφερείας πρὸς ἄλληλα ἀντεστραμμένα· ὁ δὲ ἐλέφας οὐχ οὕτως, ὥσπερ ἔλεγόν τινες, ἀλλὰ συγκαθίζει καὶ κάμπτει τὰ σκέλη, πλὴν οὐ δύναται διὰ τὸ βάρος ἐπ' ἀμφοτέρα ἅμα, ἀλλ' ἀνακλίνεται ἢ ἐπὶ τὰ εὐώνυμα, ἢ ἐπὶ τὰ δεξιὰ, καὶ καθεύδει ἐν τούτῳ τῷ σχήματι. κάμπτει δὲ τὰ ὀπίσθια σκέλη ὥσπερ ἄνθρωπος.

Iam igitur ad membrorum flexuram transit, hac in re animalia ab homine discrepare ostendens. Membrorum flexuras sibi ipsis et humanis contrarias habere dicit. Cur inter se contraria sint, sequentibus explicat: „Quadrupedes viviparae priora membra prorsum, postica retro flectunt, et cavitates membrorum inter se obversas habent.” Hoc secus quam in homine fieri, paullo infra docet: „homini brachia retro curvantur, crura antrorsum.”

Sic igitur hominem et quadrupedia contrario modo membra plicare invenies. At externa species summum virum fefellit. Nam brutis eadem quae homini flexurae, dummodo singulas cum humanis recte componas. Hoc autem Aristotelem latuisse vehementer miror, quum parum abesset, quin verum intelligeret. Nam quae de camelo ⁽¹⁾, quae de avibus ⁽²⁾ observavit, errorem ei potuerunt ostendere. Omnis vero diversitas in eo potissimum versatur, quod humeri femorisque ossa in quadrupedibus plerumque nimis brevia sunt, et sub externo corporis tegumento latent. Accedit, quod quum plurima animalia non planta pedis, sed extremis digitis suffulta incedant, calx sursum tendit, nec terrae ut in homine innititur. Metatarsi denique et metacarpi ossa in multis, quae velociter currunt, veluti equis, cervis, aliisque tantopere elongantur, ut crura putes, qui pedis articuli sunt, crura vero primo aspectu femora tibi videantur.

Idem Aristoteli accidit. Anteriora genua dixit, quae carpos dicere debebat, posteriora autem, quae suffragines rectius appellasset. Quod si

(¹) Hist. anim. II. c. 2. 5. ed. Schneid.

(²) De Inc. c. 11. p. 459. D. De part. anim. IV. c. 12. p. 638. ed. Casaub. E. Hist. anim. II. c. 8. 1. ed. Schneid.

perceperis, philosophi verba cum natura congruere videbis. Nam carpos antrorsum flectunt, suffragines vero in contrarium. Jure etiam elephantum excipit, qui genua quemadmodum homo flectat; nam femora huic longiora, crura brevia, ut genua in eo non, ut in plurimis, a communi corporis tegumento occultentur. At alia permulta debebat excipere, veluti ursos, simias etc.

Verba ὁ δ' ἐλέφας — ὥσπερ ἔλεγον κ. τ. λ. diligentiori illustratione digna sunt. Aspera haec et salebrosa oratio, licet sensus nequaquam obscurus videatur. Vulgi falsam opinionem breviter convincit. Fuerunt enim, qui elephantos pedum articulis carere perhiberent, ideoque erecto corpore et ad arbores acclinatos somnum capere. Hunc late pervulgatum fuisse errorem, multi veterum loci ostendunt, quorum permagnam turbam cel. Bochartus ⁽¹⁾ conguessit. Aristoteles ad eundem in libro de animalium incessu respexit, ullum motum sine flexura fieri negans ⁽²⁾. Non igitur in eo haerendum, qui huius loci sensus sit. Attamen in singulis nonnihil inesse puto, quod difficilius explicetur. Scaliger haec ita vertit: „Elephantus autem non, quemadmodum prodidere, sed et ipse tum subsidet, tum crura flectit. Ceterum nequit super utroque latere simul propter onus, sed reclinatur super sinistram aut super dextram, atque eo habitu quiescit.” Postrema recte; quid vero in antecedentibus sibi velit, non video equidem. Nam si ita intelliguntur, ineptam sententiam continent. Qui quaeso fieri possit, ut simul in utroque latere cubet? Hoc de nullo animali cuiquam in mentem veniat, nedum de elephanto. Cur igitur talia addidisset philosophus? Itaque nescio an melius ad antecedentia referantur: considit et crura flectit, sed propter corporis molem simul in utrumque incumbere nequit. Sic etiam cel. Camus haec verba accepit, at cum sequentibus ea coniunxit ⁽³⁾. Quod vereor ut recte fiat et particulam adversativam sic offendere puto. Quodsi ἀνακλίνεται δὲ etc. legeretur, nullus equidem hae-

⁽¹⁾ In Hierozoico Vol. II. p. 261 sq.

⁽²⁾ De Inc. 9. p. 458. C. ed. Casaub. Ἐνδέχεται μέντοι καὶ μὴ ἔχοντος καμπήν τοῦ σκέλους κινεῖσθαι, ὥσπερ τὰ παῖδιά ἐρπουσι καὶ περὶ τῶν ἐλεφάντων ὁ παλαιὸς ἦν λόγος τοιοῦτος, οὐκ ἀλλ' ὅς ὃν κινεῖται γὰρ καὶ ταῦτα κάμψιν γενομένην ἐν τοῖς ὁμοπλάταις ἢ τοῖς ἰσχυρίαις.

⁽³⁾ *Il plie les jambes de derrière, comme nous le faisons pour nous asseoir: seulement la pesanteur de son corps l'empêchant de fléchir les deux jarrets en même temps, il se couche ou sur la droite, ou sur la gauche et prend son sommeil en cette posture.*

rerem. Sic enim non ex illis penderent, sed, ut debebant, per se dicta essent. Nam alterum ad genuum flexuram pertinet, quam corporis onere nonnihil impediri dicit, alterum cubandi modum describit. Quamobrem haec minus apte sibi opponi censeo. Haud denique cel. Strackii versionem cum philosophi verbis convenire puto ⁽¹⁾. Non enim genubus, sed alterutro latere cubantes dormiunt. Hoc et ipse saepius vidi, et a rectoribus eorum audiui. Locum igitur, ut nunc est, explicare nequeo, et vereor, ut integer ad nos pervenerit. Fabulam olim permanasse, elephantos erecto corpore ⁽²⁾, et ad arbores acclines dormire, iam supra meminimus. Quid, si huius mentionem fecerit? Sic certe adversativa ἀλλά refutationem recte induceret.

CAP. I. §. 5.

Τοῖς ὡτόκοις δὲ, οἷον κροκοδείλῳ καὶ σαύρᾳ καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς τοιούτοις ἅπασιν ἀμφότερα τὰ σκέλη, καὶ τὰ πρόσθια καὶ τὰ ὀπίσθια εἰς τὸ πρόσθεν κάμπτεται, μικρὸν εἰς τὸ πλάγιον παρεγκλίνοντα· ὁμοίως δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις, τοῖς πολύποσι· πλὴν τὰ μεταξὺ τῶν ἐσχάτων ἀεὶ ἐπαμφοτερίζει, καὶ τὴν κάμψιν ἔχει εἰς τὸ πλάγιον μᾶλλον.

Scaliger: „Quae vero ova pariunt, qualis crocodilus et lacertus atque alia eiusmodi animalia, iis omnibus tam priora, quam posteriora crura flectuntur retrorsum (nam εἰς τοῦπίσθεν sine auctoritate correxit) paulisper in latus inclinata. Similiter et iis, quae multis pedibus gradiuntur, nisi quod ultimorum crurum mediae curvaturae utram in partem vergant, in ambiguo est, sed ad latus potius curvantur.” Quicumque amphibiorum incessum observavit, haec in magno errore esse, statim videbit. Quum enim eorum membra ex iisdem articulis constant, nec femora ut in mammiferorum multis ad truncum adstricta sint, membra eodem quo homines modo plicant, anteriora scilicet retro, posteriora antrorsum, sic tamen ut genua sive flexurae aliquantum in latus vergant.

⁽¹⁾ *Er kniet nemlich nieder, und beugt die Füße zusammen, nur dafs dies wegen seiner Schwere nicht mit beiden zugleich geschehen kann, sondern zuerst kniet er mit dem linken, und dann mit dem rechten nieder und in dieser Stellung ruht er.*

⁽²⁾ Ael. H. A. IV. 31.

Minime vero utraque crura antrorsum flectunt, nec retro, ut Scalligero placuit. Hoc tam luculenter in conspectum cadit, ut Aristotelem, accuratissimum naturae contemplatorem, non potuerit latere. Accedit, quod haec alii eiusdem sententiae contradicunt. Docet enim in libro de animalium incesso⁽¹⁾, quatuor flexurae modos cogitari posse, aut ut omnia crura retro flectantur (ἐπὶ τὸ κοῖλον), aut omnia antrorsum (ἐπὶ τὸ κυρτόν), aut contrariis inter se curvaturis, priora scilicet antrorsum, posteriora retro, ut in quadrupedibus, aut priora retrorsum, posteriora in anteriorem partem. Addit, quod duobus prioribus modis crura plicet, nullum animal inveniri, tertium in quadrupedibus locum habere, quartum denique in nullo alio nisi in elephanto.

In postremis amphibia ponere debebat, quae crura eodem modo flectunt. Quod propterea non videtur fecisse, quia in illo libro haec in latus flectere contenderat⁽²⁾. Quum vero illic diserte dicat, nullum animal inveniri, quod omnia crura vel in adversum, vel retro plicet, nostrum locum librariorum negligentia mutilatum suspicor. Ceterum facillime, opinor, restituitur, si εἰς τὸ ὀπίσθεν inseris, quod iisdem saepius repetitis excidere potuit. Quo facto hic oritur verborum nexus: Τοῖς ὠτοκόκοις δὲ ὡς περ κροκοδείλῳ καὶ σαύρᾳ, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς τοιούτοις ἅπασιν, ἀμφότερα τὰ σκέλη, καὶ τὰ πρόσθια [εἰς τοῦ ὀπίσθεν] καὶ τὰ ὀπίσθια εἰς τὸ πρόσθεν κάμπτεται, μικρὸν εἰς τὸ πλάγιον παρεγκλίνοντα κ. τ. λ. Haec olim in Aristotele exstitisse, e Plinio⁽³⁾ apparet, qui nostrum locum ad verba reddidit: „Ova parientibus quadrupedum, crocodilo, lacertis, priora genua post curvantur, posteriora in priorem partem. Sunt autem crura his obliqua humani pollicis modo. Sic et multipedibus, praeterquam novissima salientibus.” De ultimis

(¹) De Incessu anim. 13. p. 460. E. Ὅντων δὲ τεττάρων τρόπων τῆς κάμψεως κατὰ τοὺς συνδέσμους· ἀνάγκη γὰρ κάμπτεται ἢ ἐπὶ τὸ κοῖλον καὶ τὰ πρόσθια καὶ τὰ ὀπίσθια, καὶ ἴσως ἐφ' οἷς α. ἢ ἐπὶ τοῦναντίον, ἐπὶ τὸ κυρτόν, ἐφ' οἷς β. ἢ ἀντεστραμμένως, μὴ ἐπὶ ταῦτα, ἀλλὰ τὰ μὲν πρόσθια ἐπὶ τὸ κυρτόν, τὰ δ' ὀπίσθια ἐπὶ τὸ κοῖλον, καὶ ἴσως ἐφ' οἷς γ. ἢ τοῦναντίον τούτοις τὰ μὲν κυρτὰ πρὸς ἄλληλα· τὰ δὲ κοῖλα ἐκτός, καὶ ἴσως ἐφ' οἷς δ. ὡς μὲν ἔχει ἐφ' οἷς τὸ α ἢ τὸ β, οὐδὲν κάμπτεται, οὔτε τῶν διπόδων, οὔτε τῶν τετραπόδων· ὡς δὲ τὸ γ τὰ τετράποδα· ὡς δὲ τὸ δ τῶν μὲν τετραπόδων οὐδὲν πλὴν ὁ ἐλέφας.

NB. Εἰς τὸ κυρτόν appellat, si curvatura anguli antrorsum spectat, si cavitas εἰς τὸ κοῖλον.

(²) De Incess. anim. c. 15. p. 460. ed. Casaub.

(³) Hist. natur. XI. §. 102.

Plinii verbis postea dicam. Priora cum mea coniectura congruere vides. Quo tamen ἀμφοτέρα referendum, dubitari potest. Equidem ad antecedentia illud spectare puto. Dixerat enim de elephanto: κάμπτει δὲ τὰ ὀπίσθια σκέλη, ὥσπερ ἄνθρωπος; iam igitur ovipara ἀμφοτέρα τὰ σκέλη; nam sicut homo priora retro flectunt, postica antrorsum.

Quod denique de insectis tradit, ea similiter membra curvare, ex parte verum intellexi. Nam scarabaei, melolonthae et magna coleopterorum pars eodem modo anteriora et posteriora membra plicant. In plurimis vero contrarium observatur, ut in dipteris, cimicibus aliisque multis. Nam si ingrediuntur, flexurae priorum magis antrorsum, posteriorum retrorsum spectant, contra quam in lacertis. Hoc ipse etiam in libro de incessu animalium confirmat ⁽¹⁾. Unde apparet τὰ μεταξὺ τῶν ἐσχάτων de mediis pedibus intelligenda esse. Sunt enim τὰ ἐσχατα extrema membra, priora scilicet ac postica, τὰ μεταξὺ τῶν ἐσχάτων quae hisce interposita sunt, medium par. Hoc iam Theodorus intellexerat, eumque Camus iure sequitur. Miror cel. Strackium a Scaligero deceptum esse.

Restat, ut de extremis Plinii verbis dicam. Sunt ea quidem ex Aristotele deprompta, sed ex alio loco, qui in quarto de partibus libro legitur ⁽²⁾. Diversa igitur in unum conflavit, quod nonnunquam ab eo fieri iam supra ostendi.

CAP. II. ed. Schneid. §. 3. DE BONASO.

Αὐτῶν δὲ τῶν τετραπόδων καὶ τρίχας ἔχόντων τῶν μὲν ἅπαν τὸ σῶμα δασύ, καθάπερ ὕδρ καὶ ἄρκτου καὶ κυνός· τὰ δὲ δασύτερα τὸν αὐχένα ὁμοίως πάντη, οἷον ὅσα χαίτην ἔχει, ὥσπερ λέων· τὰ δ' ἐπὶ τῷ πρᾶνεί τοῦ αὐχένος ἀπὸ τῆς κεφαλῆς

(¹) De Inc. anim. c. 16. p. 460. E. Τὰ δ' ἀναιμα τῶν ὑποπόδων ὅτι μὲν πολὺποδά ἐστι καὶ οὐδὲν αὐτῶν ἐστὶ τετράπουν, πρότερον ἡμῖν εἴρηται. διότι δ' αὐτῶν ἀναγκαῖον ἦν πλὴν τῶν ἐσχάτων ἔκ τε τοῦ πλαγίου προσπεφυκέναι καὶ εἰς τὸ ἄνω τε τὰς καμπὰς ἔχειν καὶ αὐτὰ ὑπόβλαιστα εἶναι εἰς τὸ ὀπίσθεν φανερόν· ἀπάντων γὰρ τῶν τοιούτων ἀναγκαῖόν ἐστι τὰ μέτα τῶν σκελῶν καὶ ἡγούμενα εἶναι καὶ ἐπόμενα. εἰ οὖν τοῦτο αὐτοῖς ἦν, ἔδει αὐτὰ καὶ εἰς τὸ ἔμπροσθεν καὶ εἰς τὸ ὀπίσθεν τὴν καμπὴν ἔχειν· διὰ μὲν τὸ ἡγείσθαι εἰς τὸ ἔμπροσθεν, διὰ δὲ τὸ ἀκολουθεῖν εἰς τὸ ὀπίσθεν· ἐπεὶ δ' ἀμφοτέρα συμβαίνει ἀναγκαῖον αὐτοῖς, διὰ τοῦτο βεβλαιώσθαι καὶ εἰς τὸ πλάγιον ἔχειν τὰς καμπὰς πλὴν τῶν ἐσχάτων· ταῦτα δ' ὥσπερ πέφυκε μᾶλλον, τὰ μὲν ὡς ἐπόμενα, τὰ δὲ ὡς ἡγούμενα.

(²) De part. anim. IV. c. 6. p. 630. A. ed. Casaub.

μέχρι τῆς ἀκρωμίας, οἷον ὅσα λοφίαν ἔχει, ὥσπερ ἵππος, καὶ ὀρεὺς καὶ τῶν ἀγρίων καὶ κερατοφόρων βόναστος.

„Quadrupedia, ait, quae pilo vestiuntur, aut toto corpore hirsuta sunt, aut in collo undique densiorem villum gerunt, ut quae iubata sunt, quemadmodum leo; aut in summa tantum cervice iubam habent, a capite ad armos pertinentem, veluti equus, mulus et e cornigeris feris bonasus.” In altero huius libri capite §.10. ed. Schneid. iterum de Bonaso haec narrat: „Bisulca et iubata et duobus in se flexis cornibus praedita nonnulla animalia sunt, qualis bonasus, qui circa Paeoniam et Maedicam regionem nascitur ⁽¹⁾. Classicus vero locus in nono huius operis libro legitur. Cap. 32. ed. Schneid. c. 45. alior.: „Bonasus, inquit, in Paeonia gignitur, in Messapio monte, qui Paeoniam a Maedica terra separat. A Paeonibus Monapos dicitur. Magnitudine tauri est, at bove crassior, non enim longus. Corium eius si distenderis, ἐπτάκλινον occupat. Ceterum bovis forma est, si iubam exceperis, ad armos usque, ut in equo, decurrentem, sed equina molliorem et cervici magis adstrictam. Color huic villo flavus. Prolixa etiam eaque densa ad oculos descendit caprona. (Corporis) color medius inter cinereum et rufum, non qualis equorum, quos paroas vocant, sed squalidiori pilo et subtus lanoso tegitur. Qui nigri aut rufi admodum sint, non inveniuntur. — Vox bubulae similis, cornua curva, in se flexa, ad pugnam inutilia, spithamae longitudine, nec multo longiora; tali amplitudine, ut semisextarium fere capiant; pulchra ad haec eaque nitida nigratie sunt. Caprona ad oculos usque demissa, ut in latus maius, quam in adversum prospiciant. Superioribus dentibus caret, sicut et bos et reliqua cornigera. Femora ei hirta et bisulci pedes. Caudam gerit pro corporis magnitudine brevior ac bubulae similem. Pulverem fodiens tauri exemplo suscitatur. Cutis contra ictus valida, caro suavis, quapropter eum venantur.”

Haec de corporis forma ac qualitate; sequentia mores describunt. At, quum fere fabulosa videantur, ea ad verbum transferre nolo. Stercoris profusione, quod longius iaculari queat, bonasum se contra insequentes venatores tueri perhibet. Praeter hunc locum eiusdem in III. de part. anim. libro meminit, cornuum formam breviter describens. Ceteros

(¹) Δίχχλα δὲ ἅμα καὶ χαίτην ἔχοντα καὶ κέρατα δύο κεκαμμένα εἰς αὐτὰ ἔστιν ἓνα τῶν ζώων οἷον ὁ βόναστος, ὃς γίγνεται περὶ τὴν Παιονίαν καὶ τὴν Μαυδικήν.

omnes ex Aristotele ea hausisse credo, quae de bonaso referunt. In his etiam Aelianus et Plinius ⁽¹⁾. Uterque fabulam auget; Aelianus venatores stercore interfici narrat, Plinius id trium iugerum longitudine protrudi refert, quum philosophus hoc in quatuor passus (*ὀργυιάς*) fieri dixisset.

Dictu difficillimum, quemnam bovem sub bonasi nomine intellexerit philosophus. Sunt, qui bonasum, urum et bisontem unum idemque animal fuisse contendunt ⁽²⁾. Quod tamen concedere nequeo. Nam qui hodie appellatur urus et cornuum forma et colli villositate a bonaso, qui equinam iubam gerit, aliquantum discrepat. Urum Oppianus ⁽³⁾ graphice descripsit, bisontis nomine eum appellans, iubam in armis, circum cervicem et ora eius horrere dicit. Cornua aeneis hamis comparat, eaque non ut in ceteris bubus contra se invicem, sed deorsum curvari perhibet, et apices rursus ad coelum tendere. Haec optime cum uro recentiorum congruere, nemo opinor negabit.

Celeberrimus Schneiderus ⁽⁴⁾, qui uberius de hisce disputavit, multa veterum loca attulit, iam a Gesnero collata. In his etiam Pausaniae locum, qui manifesto ad urum spectat. Boeotic. 21. Οὔτοι δὲ οἱ ἐκ Παιόνων ταῦροι ἔς τε τὸ ἄλλο σῶμα δατεῖς καὶ ἀμφὶ τὸ στέρον μάλιστα εἰσι καὶ τὴν γένυν. Nec vero haec, neque Oppiani locum cum cel. viro ad Bonasum referam, sed bisontes a Graecis appellari arbitror, qui hodie uri dicuntur. Nihil enim impedit, quominus hos etiam in Paeonia olim exstitisse statuamus, nec Plinio fides habenda ⁽⁵⁾, si uros et bisontes Graecis in experimentis fuisse negat. Ceterum Plinius utrosque quum a bonaso, tum inter se diversos putasse videtur, nec immerito opinor, quum ceteri etiam scriptores in eo consentiant. Plin. VIII, 15. Paucissima Scythia gignit, inopia fruticum, pauca contermina illi Germania: insignia tamen boum ferorum genera, iubatos bisontes, excellentique vi et velocitate

⁽¹⁾ De part. anim. III. 2. Aelian. Hist. Anim. VII. 3. Plin. H. N. VIII. §. 16. Tradunt in Paeonia feram, quae bonasus vocetur, equina iuba, cetera tauro similem, cornibus ita in se flexis, ut non sint utilia pugnae: quapropter fuga sibi auxiliari, reddentem in ea fimum, interdum et trium iugerum longitudine.

⁽²⁾ Buffon hist. natur. XI, p. 288. 289. ibid. p. 303 sq. 307 sq. Pallas Nord. Beiträge I, 1. init. Zimmermann Spec. Zool. geogr. p. 548. et multi alii.

⁽³⁾ Cyneg. II, 162.

⁽⁴⁾ Eclog. phys. I. p. 27. II. p. 24.

⁽⁵⁾ Plin. hist. nat. XXVIII. §. 45.

uros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, cum id gignat Africa, vituli potius cervique similitudine ⁽¹⁾.

Solinus diserte inter utrumque discernit. Cap. 23. „In tractu saltus Hercynii et in omni septemtrionali plaga bisontes frequentissimi sunt, boves feris similes, setosi, colla iubis horridi, ultra tauros pernecitate vigentes; capti assuescere manu nequeunt. Sunt et uri, quos imperitum vulgus vocat bubalos.” — Bisonti iubam uterque tribuit, quod cum Oppiani ac Pausaniae locis congruit. Urorum prima, quod sciam, apud Caesarem mentio de B. G. VI, 28. „In sylva Hercynia nascuntur, qui appellantur uri. Ii sunt magnitudine paulo infra elephantos, specie et colore et figura tauri; magna vis est eorum et magna velocitas: neque homini, neque ferae, quam conspexerunt, parcunt. — Amplitudo cornuum et figura et species multum a nostrorum bouum cornibus differt.” Cur iubae non meminit, si in uro adest? Hoc tamen valde insigne est, ut nemo bisontem viderit, qui iubae non faciat mentionem. Si in tanta rerum confusione, quanta vix alias invenitur, coniecturam facere licet, nostra aetate uros vocari credo, qui olim bisontes appellabantur, uros autem et nobis ignotos esse et crescente terrarum, in quibus habitabant, cultura prorsus evanuisse. Fortasse qui uri ab antiquis vocabantur, iuba carebant, nec nisi cornuum amplitudine atque forma a domesticis bobus diversi erant. Solinus apud Gesnerum Hist. Quadrup. p. 143. ⁽²⁾: Istis, quos uros dicimus, inquit, taurina cornua in tantum modum protruduntur, ut dempta ob insignem capacitatem inter regias mensas potuum gerula fiant. Iisdem bubalorum nomen antiquitus fuisse, ex Plinii, Solini aliorumque locis, quorum Gesnerus plura conguessit, apparet.

Haec de uro et bisonte scripseram, quum cel. Cuviero eadem placere intellexi. Is enim maxima, qua prae ceteris eminet, experientia rerum, in eximio opere, quo de primigenarum animalium reliquiis disse- rit, densam caliginem disiecit ⁽³⁾. Urum cum bisonte veterum congruere

⁽¹⁾ In ultimis vbb. Antilopen Bubalin intelligit cf. Opp. Cyneg. II. vs. 300. et Ael. hist. anim. VII, 47. ubi pullos eorum πύλους appellari refert, quod magni momenti est, nam μότχοι appellati essent, si ad bovillum genus pertinerent.

⁽²⁾ Gesneri editiones et rebus et paginarum numero vehementer discrepare intellexi, ideoque illam semper adhibui, quae Francofurti anno 1620 in lucem prodiiit.

⁽³⁾ *Recherches sur les ossements fossiles* Tom. IV. p. 108 sq.

ostendit ⁽¹⁾, sed qui antiquis urus vocaretur, eum nunc in terra prorsus deletum esse ⁽²⁾. Bisontem ⁽³⁾, quem antea domestici tauri atavum crediderunt, et cranii figura et cornuum insertione et costarum denique numero ab eo longissime discrepare docet ⁽⁴⁾. At non raro crania in supremis terrae stratis inveniri refert, quae magnitudine quidem domestici crania superent, sed in ceteris praeter cornuum flexuram cum eo convenient ⁽⁵⁾. Haec boum ferorum capita censet, quales non amplius inveniantur, atque ex iis boves domesticos originem traxisse summa cum veri similitudine coniicit. Praeterea Bonasum bisontis varietatem fuisse ostendit, cornuum deformatione ortam, qualis etiam in uno musei Parisiensis exemplo invenitur. Cornuum formam non multum curaveram; scio enim, hanc in boum genere nimis variare. In quo maxime haerebam, iuba erat, quae non totum undique collum occupabat, sed equinae similis erat, modo mollior et magis adstricta. Quod quum philosophi verba aperte doceant, hoc me dubium retinuit. Nunc tamen, ubi egregiam summi viri dissertationem diligenter legi, singulis accurate comparatis non possum, quin cum eo consentiam. Quum tamen eximium illum librum in paucorum manibus esse sciam, unum ex eo repetam, quod hanc sententiam omnino confirmat. Bisontis descriptionem dico, quam e Giliberti opusculis phytologico-zoologicis exhibet ⁽⁶⁾. Hunc tamen librum neque in bibliotheca regia, neque apud privatum quemquam invenire potui; ideoque Cuvieri diligentia confisus, quae necessaria videntur, e Gallico sermone transferam.

Bisonti duplicem pilum nasci Gilibertus tradit, alterum brevem rufi coloris, alterum longiorem e castaneo nigrescentem. Villum longissimum in imo collo ad armos, et in inferiore maxilla gulaque esse, nec raro in anticis cruribus dimidium occupare membrum. Hunc mollem atque lanosum appellat. In summo collo ad scapulas usque pilorum nonnihil recumbentium seriem inveniri ⁽⁷⁾. Caudam ad suffragi-

⁽¹⁾ *Recherches etc.* p. 113. ⁽²⁾ p. 115.

⁽³⁾ Sic semper eum appellabo, qui hodie urus dicitur.

⁽⁴⁾ *Recherches etc.* p. 109. 110. ⁽⁵⁾ *Ibid.* p. 116. *Ce doit être le véritable urus des anciens, l'original de notre bœuf domestique, tandis que l'aurochs d'aujourd'hui n'est que le bison ou le bonasus des anciens, espèce, qui n'a jamais été soumise à esclavage, ainsi qu'ils le disent déjà.* ⁽⁶⁾ *Ibid.* p. 110.

⁽⁷⁾ *Le long de la nuque jusqu'au garrot il y en a une suite d'un peu redressé.*

nem descendere, longis in fine iisque rigidis crinibus vestitam. Aestate longiores villos maxima ex parte in iis defluere narrat, quo fiat, ut speciem alienissimam accipiant. Breviares pilos parum commutari, neque unquam denudari cutem. Capronam, quae e fronte dependeat, odorem moschatum hiemis imprimis tempore diffundere. Cornua in utroque sexu breviora esse, cutem duplo quam in tauro crassiorem.

Haec si cum Aristotelis descriptione comparas, bonasum cum bisonte nimis congruere videbis. Pili, quos in summa cervice parum recumbere dicit, iubam equinae similem efficere potuerunt, si longiores qui latera colli et armos vestire solent, aestate exciderant.

Restat, ut de singulis nonnulla dicam. Verba *χρῶμα δ' ἔχει τοῦ τριχώματος ξανθόν* cel. Schneiderus antea de iuba intellexerat ⁽¹⁾. Postea de priori sententia discessit eaque ad totius corporis pilum retulit ⁽²⁾. Quod velim non fecisset. Non enim verba *τοῦ τριχώματος* a librariis e loco mota censeo, quod celeberrimo viro placet, qui illa ante *ἔχει μέσον τι* etc. inserere vult. Non video equidem, cur de iuba dici nequeant. Hanc enim colore lucidiorem fuisse et iubarum naturae aptum et cum biontis descriptione convenit. Villum in summo biontis dorso, ad armos nimirum, helvi coloris esse, Bockius testatur ⁽³⁾, quem omnino velim de hisce conferas. Idem corporis colorem ex rufo et cinereo mixtum aliis dilutiorem, aliis obscuriorem esse refert ⁽⁴⁾. Doebelius contra fuscum appellat ⁽⁵⁾. Colorem igitur nonnihil variare vides, non magnopere tamen ab eo recedere, quem bonaso philosophus tribuit.

Nec denique cel. Schneidero in eo assentiar, quod verba *ἀλλ' αὐχμηροτέραν τὴν τρίχα κάτωθεν ἐριώδη* sensum miro modo turbare dicit et haec ita corrigenda censet: *αὐχμηρότερον τὴν τρίχα δὲ τὴν κάτωθεν ἐριώδη*. Ventris et inferiorum partium pilos intelligit. Non haereo equidem in verborum structura, et illud *κάτωθεν* de ima pilorum parte acceperim. „Colore inter cinereum et rufum intermedio est, non vero tali, qualis, qui *Παρῶναι* dicuntur, equis, sed squalidiorem pilum habet et ad cutem

(1) Eclog. physic. T. II. §. 50. p. 22. et in annotationibus ad H. A. T. IV. p. 234.

(2) Cur. posterior. ad libr. IX. T. IV. p. 518 sq.

(3) Bock's *Naturgeschichte von Preussen* Vol. IV. p. 193 fg.

(4) „*Fahlroth oder gelb mit grau gemischt.*”

(5) *Jägerpractica* Vol. I. p. 71.

lanarium." Color igitur cinereo permixtus, neque omnino rufus, ut in parois equis: Hos enim rufi coloris esse, ex Hesychio accipimus: Παρβαί (sic) λέγονται ἵπποι τινὲς τὸ χροῖμα πυρρόοι. Camus: *des chevaux alezans* (*Füchse*). Eundem colorem breviori pilo Gilibertus tribuit, ac verisimile est, hunc in ima parte lanarium esse, quum eadem natura in longioribus iubae villis inveniatur ⁽¹⁾.

De cornuum diversitate haec addam, Oppiani descriptionem cum cornuum forma, qualis in bisonte conspicitur, convenire; Bonasum vero ab ea recedere. Ceterum a philosophi descriptione nimis abhorrent, quae in scriptore de mirab. auscult. leguntur ⁽²⁾: τὰ δὲ κέρατα οὐκ ὥσπερ οἱ βόες, ἀλλὰ κατεστραμμένα καὶ τὸ ὄξυ κάτω παρὰ τὰ ὦτα. Deorsum igitur versa, ut mucro inferne iuxta aures sit. Cornuum flexuram formamque magnopere diversam esse, iam supra memini, non igitur de hisce dubitandum. Illud certe quadrat, quod breviora, nigra et nitentia dicuntur. Iam vero bonasum relinquamus, qui quin bisonis varietas fuerit, non dubium mihi videtur.

DE HIPPELAPHO. *Ibidem* §. 3.

Ἔχει δὲ καὶ ὁ ἱππέλαφος καλούμενος ἐπὶ τῇ ἀκρωμῖα, χαίτην, καὶ τὸ θηρίον τὸ ἱππάρδιον ὀνομαζόμενον· ἀπὸ δὲ τῆς κεφαλῆς ἐπὶ τὴν ἀκρωμῖαν λεπτὴν ἐκάτερον· ἰδίᾳ δὲ ὁ ἱππέλαφος πύγωνα ἔχει κατὰ τὸν λάρυγγα. Ἔστι δὲ ἀμφοτέρω κερατοφόρα καὶ δόχyla· ἡ δὲ θήλεια ἱππέλαφος οὐκ ἔχει κέρατα· τὸ δὲ μέγεθος ἐστὶ τούτου τοῦ ζώου ἐλάχιστον προσεμφερές· γίνονται δὲ οἱ ἱππέλαφοι ἐν Ἀραχώταις ὤπερ καὶ οἱ βόες οἱ ἄγριοι. Διαφέρουσι δὲ οἱ ἄγριοι τῶν ἡμέρων, ὅσονπερ οἱ ὕες οἱ ἄγριοι πρὸς τοὺς ἡμέρους· μέλανές τε γὰρ εἰσι καὶ ἰσχυροὶ τῷ εἶδει καὶ ἐπίγρυποι, τὰ δὲ κέρατα ἐξυπτιάζοντα ἔχουσι μᾶλλον· τὰ δὲ τῶν ἱππελάφων κέρατα παραπλήσια τοῖς τῆς δορκάδος ἐστίν.

Nullum haud dubie animal in veterum scriptis occurrit, quod tanta negotia fecerit interpretibus, tamque varias eorum excitarit senten-

(1) Desmarest Mammalogie p. 498. *Avant-train du corps hérissé de poils bruns, longs d'un pied, doux et laineux près de la peau, mais durs et grossiers à l'extérieur; partie laineuse de cette fourrure et poil du sommet de la tête grisâtres.*

(2) De mirab. auscult. p. 702. B. ed. Casaub., quae quidem ex nostro loco deprompta, sed mirifice deformata sunt.

tias. Alii aliud proposuerunt, quo obscurum illud animal explicarent, verum neminem hucusque hanc rem ad liquidum perduxisse arbitror. Itaque meam coniecturam, quae mihi quidem proxime a vero abesse videtur, multis multorum adiungere placet, contra aliorum placita, quam brevissime potero, disputans. Veterum zoologorum, Gesneri, Alberti aliorumque sententias iure, opinor, omisi. Sed anteaquam de variis virorum doctorum placitis dicam, unum errorem, omnibus fere communem, e medio removeam necesse est. Ad unum omnes, quum Plinius tragelaphi cuiusdam meminerit, nominis fortasse similitudine decepti, hanc feram cum hippelapho confundere ausi sunt. Quod tamen et propter patriam utriusque nimis dissidentem et propter formae diversitatem fieri nequit. Plinii tragelaphum e cervorum numero esse, mihi quidem satis exploratum videtur, eumque libentissime pro illa cervi varietate, quam Ardennensem hodie appellant, accipio. Hoc enim Plinii verba certissime docent: VIII. §. 50. „Eadem (cervi) est specie, barba tantum et armorum villo distans, quem τραγέλαφον vocant, non alibi quam iuxta Phasin amnem nascens.” Quibus luculenter probari puto, tragelaphum cervi varietatem fuisse, nec nisi barba et armorum villositate ab eo recedere. Non vero adducor, ut quod nonnullis placet, ovem tragelaphum (rec.) in Plinii loco intelligam. Huic quidem in gutture et ad carpos longissimi pili, non vero in armis, nec patriam convenire puto, quum ille ad Phasin amnem, haec vero in Africa boreali habitet. Accedit, quod vix ulla in re cervi speciem refert, nec Pliniana illa in eam quadrant: eadem specie tragelaphum esse. Qua propter Agricola et Fabricium rectissime iudicasse arbitror, qui hac de re ita scripserunt. Agricola apud Gesnerum Hist. Quadrup. p. 297: Tragelaphus, inquit, ex hirco et cervo nomen invenit, nam hirci quidem instar videtur esse barbatus, quod ei nigri villi sunt in gutture et in armis longi; cervi vero gerit speciem, eo tamen multo est crassior et robustior. Cervinus etiam ipsi color insidet, sed nonnihil nigrescens, unde nomen Germanicum traxit. Verumtamen suprema dorsi pars cinerea est, ventris subnigra, non ut cervis candida, atque illius villi circa genitalia nigerrimi sunt. Caeteris non differunt uterque in nostris sylvis, quamquam plures tragelaphi in his, quae finitima sunt Boëmicis, quam in aliis reperiuntur. Haec Agricola, nec Fabricius dissentit. —

An Graecorum tragelaphus e cervorum genere fuerit, non pro certo affirmaverim; vix enim credo; sed nullum hucusque locum inveni, qui formam satis indicaret.

Haec vero hactenus; vides, Plinii tragelaphum commode ad Ardennensem cervi varietatem referri, quam a cinereo colore *Brandhirsch* appellant. Cum iis tamen consentire nequeo, qui idem de Hippelapho statuunt ⁽¹⁾. Hunc enim minime ad cervinum genus pertinere, cornua imprimis docent, quae cervo solida ac ramosa sunt, huic dorcadum cornibus similia dicuntur. Quamobrem non dubito, quin cava, simplicia et nonnihil recurvata fuerint, qualia dorcades gerunt. Nec vero cum cel. Strackio de cornuum primitiis, quae cervis in bimatu nascuntur, intellexerim. Nam bimis simplicia rectaque cornua gigni, antiquitas probe noverat, eosque a cornuum forma *πατταλίας* et subulones Latino nomine appellabat ⁽²⁾. Praeterea quamvis nigrescentem cervi varietatem ipse non vidi, sed ex aliorum narrationibus tantum novi, non tamen mihi persuadeam, bimatu iam longiores villos in humeris colloque eorum nasci. Neque animum inducere possum, ut hunc cervum, frigidioris plagae incolam, apud Indos inveniri credam.

Veritatem propius attingere videntur, qui hippelaphum ex Antiloparum genere fuisse statuunt, licet aliquantum dissentiant. Cel. Schneiderus strepsicerotem intelligit, Africae meridionalis bestiam ⁽³⁾. Cur in hanc potissimum inciderit, equidem non video. Nam quae de hippelapho philosophus tradidit, ex iis pauca in strepsicerotem quadrant. Praeterea coloniae capensis finitima inhabitat, neque in ulla alia regione, quod sciam, occurrit. Hoc igitur missum faciam, ad aliam aliorum sententiam transiens. Alamandus, qui primus ignotum antea et singularis admodum formae animal accuratius descripsit, quod Gnou ab Hottentottis vocatur, hippelaphum in eo reperisse sibi visus est ⁽⁴⁾. Hanc etiam cel. Lichtensteinii, patris haud dubie, sententiam fuisse, apud Schneiderum invenio ⁽⁵⁾. Non tamen in eandem discesserim, quamvis non prorsus

⁽¹⁾ Buffon hist. natur. XI. p. 402 sq. Zimmermann Spec. Zool. geogr. p. 200. Cuvier *Règne animal*. Vol. I. p. 255.

⁽²⁾ Cf. Arist. hist. anim. IX, 6, 2. ed. Schneid. alior. c. 5. Plin. H. N. lib. XI. §. 45.

⁽³⁾ Eclog. physic. T. II. p. 19.

⁽⁴⁾ Desmarest Mammalogie p. 472.

⁽⁵⁾ Eclog. phys. l. c.

nego, hoc animal antiquis notum fuisse ⁽¹⁾. Sed quominus hippelaphum eo referamus, patria imprimis prohibet, quam philosophus illi tribuit. Nam hippelaphum in Arachosia inveniri tradit, Persiae extrema versus Indiam provincia. Gnou contra per interiora Africae meridionalis loca vagari fertur, ut fere eandem cum strepsicerote patriam invenerit. Ideoque incautius eos egisse puto, qui hippelaphum in hisce quaererent animalibus. Omnes enim Antiloparum species certis iisque arctioribus plagis adscriptae sunt, ut septemtrio alias, alias meridies Africae proferat, licet formae nonnunquam sibi respondeant ⁽²⁾. Idem vero animal simul inferiorem Africae partem atque remotas Africae regiones incolere, nimis inauditum est, quam ut celeberrimorum virorum sententiis accedere possim.

Nuper cel. Cuvierus ⁽³⁾ duas cervi species descripsit, in India orientali detectas, in quibus Aristotelis hippelaphum se putat reperisse. Alter quem prius Londini vivum viderat, Iavam et Sumatram insulas incolit, nec non in Mallacca occurrere fertur. Hunc vulgari cervo corporis statura similem, sed pilo rudiori tectum, propter iubam in colli fastigio decurrentem et barbam longiori villo in gula genisque compositam, ad hippelaphum retulit. Cornua huius parum ramosa, ramulis binis, quorum superior antrorsum dirigitur, instructa. — Postea alium detexit, illo aliquanto maiorem, specie quidem, colore ceterisque notis valde affinem, sed cranii forma et cornuum figura diversum. Hunc, quum hippelaphi nomen illi imposuisset, cervum Aristotelis appellavit. Patria certe magis cum hippelapho convenit. Nam in interiori India habitat, ad Indum fluvium et in ea regione, quae hodie Nepaul vocatur. Omnia ad haec, si cornua exceperis, cum Aristotelis descriptione videntur concinere. Horum vero naturam a cervinis diversam fuisse mihi persuasissimum habeo. Quod autem cel. Cuvierus dicit, cornua ad philosophi verba quadrare,

⁽¹⁾ Summus Cuvier veterum κατὰ βλῆσπον in eo latere censet, nec temere opinor. Cf. Ael. H. A. VII. 5. Cuvier *le règne anim.* Vol. I. p. 265.

⁽²⁾ Qualia sunt:

Merid.	Septen.
Ant. Oryx	Ant. Leucoryx
Ant. strepsiceros	Ant. Addax Licht.
Ant. Euchore	Ant. Dama.

⁽³⁾ *Recherches sur les ossemens fossiles* IV. p. 40. et in *Additamentis* p. 503.

in eo aperte fallitur, et nescio an a Camo in errorem perductus sit. Quum enim huius versionem verbotenus repetat, fortasse accuratissimo alias interprete nimis confusus, Aristotelis verba comparare neglexit. Quodsi fecisset haud dubie aliter sentiret. Camus ultima verba sic interpretatus est: „*les cornes du cheval-cerf approchent de celles du chevreuil.*” Capreolum igitur intellexit, at in Aristotele *δορκάδος* legitur. Itaque cornua huius cervi non cum philosophi descriptione, sed cum Cami versione congruunt. Camo vero Buffon fraudem fecisse videtur, qui in Axidis historia Gazam iniuria culpat ⁽¹⁾. Is enim recte capram interpretatus erat, quo nomine veteres antilopas designare solebant. Buffon capream male induxit, unde omnem errorem fluxisse opinor. — Capreolus, nisi vehementer fallor, *πρόξ* ab Aristotele appellatur, nec cum dorcade confundendus, licet hoc ab Aeliano fiat ⁽²⁾, qui dorcadas interdum *πρόκας* vocari refert. At hoc non multum curo. Nihil enim frequentius quam ut, qui in peregrinam regionem perveniunt, novas animalium formas cum notis suae regionis bestiis comparent iisque horum nomina imponant. Sic ut e multis pauca afferram, Belgi, quum in promontorii bonae spei terras demigrarunt, multas huius regionis bestias tritis in Belgia nominibus appellabant, quae quamvis ineptissima sunt, etiamnum hisce animalibus servantur. Simili modo *πρόκας* nomen in dorcadem translatum arbitror, ac proprie Graecis capreolum significasse. Hoc plurima veterum loca ostendunt. Ab Aristotele ⁽³⁾ semper cum cervo iungitur, ut similitudinem aliquam inter eos intercedere non temere coniecero. Sed *πρόκα* e cervorum numero esse, certissime ex alio loco apparet ⁽⁴⁾, ubi de felle animalium disputat: „In hepate, inquit, alia animalia fel habent, alia non habent.” Inter ea, quae felle careant, cervum et *πρόκα* recenset. Cystidem vero felleam intelligit, cervino generi denegatam, antilopis non ita. *Πρόξ* igitur ad cervinum genus pertinet et a dorcade differt ⁽⁵⁾, cf. de part. III. c. 2. ubi *πρόκας* et mox dorcadem

⁽¹⁾ Hist. naturelle XI. p. 403.

⁽²⁾ Hist. Anim. VII, 47. *Τὰς γε μὴν δορκάδας καὶ ζόρκας, καὶ πρόκας εἰώδασι νομαίεω.*

⁽³⁾ Cf. hist. anim. III, 6. III, 14. ed. Schneid. ⁽⁴⁾ Ibid. II, 11, 5. ed. Schneid.

⁽⁵⁾ Non vero cum cel. Camo ad cervum damam referendus est; hunc enim *εὐρυκέρωτα* appellabant antiqui. Cf. Oppian. Cyneg. II. vs. 293 sq. Plinius (H. N. XI. §. 45.) *πλατυκέρωτα* appellat. Idem *πρόξ* semper capream vertit, rectissime. Cf. hist. nat. XI, 74. et aliis in locis.

tanquam diversa animalia memorat. Ibi dorcadem minimum inter cornigera animalia dicit ⁽¹⁾. Nostris temporibus multo minora innotuisse, nemini ignotum est. At haec apponere volui, quum, quod mox docebo, maximi momenti viderentur. Dorcadem Aelianus uberius descripsit, ut de ea dubitare nequeas: Ὡκισται μὲν οὖν εἶναι αἱ δορκάδες, καὶ ὅμως τοὺς ἵππους τοὺς λίβυας οὐ διαδιδράσκουσι. Λαμβάνονται δὲ καὶ ἄρκτυσι. Καί εἰσι μὲν λευκαὶ τὴν γαστέρα, καὶ αὐταῖς ἥδε ἡ χροὰ ἐς τὰς λαπάρας ἀνεισι· παρ' ἐκείτερα δὲ τῆς νηδύος μέλαιναι ταινίαι κατέρπουσιν αὐταῖς, ξανδαί γε μὴν τὸ λοιπὸν σῶμά εἰσι· μακრაὶ τοὺς πόδας, μέλαιναι τὸ ὄμμα, τὴν κεφαλὴν κέρασι κεκοσμημέναι, τὰ ὦτα αὐταῖς εἰσὶ μήκιστα. In hisce quis non illam antilopen agnoscat, quae hodie dorcas appellatur? Huius igitur, nec vero capreoli cornibus hippelaphi cornua comparat. At dorcadis cornua tantopere a cervinis discrepant, ut nihil habeant commune.

Sed ad hippelaphum redeo, ut relictis aliorum sententiis, quid mihi placeat, afferam. Circumspicienti mihi, nullumne animal invenirem, cui omnia ab Aristotele commemorata responderent, unum se obtulit, in quo equidem nihil desidero. Forma, patria sedes, ad unum omnia tam pulchre quadrant, ut non dubitem, quin idem ab Aristotele visum descriptumque sit. Antilopen pictam dico, Asiae indigenam, quae nunc in iisdem locis occurrit. Cel. Hunterus ⁽²⁾ eam accuratissime descripsit eiusque effigiem eleganter a Stubbio delineatam adiecit. De genere, ad quod eam referret, dubitans, inter bovem cervumque quasi medium tenere ac singulare quoddam genus constituere ratus est. Nunc omnes hoc animal in antiloparum numero habent et merito quidem. Corpore congeneribus obesiori, cornibus, caudaque bovem quodammodo refert, capite vero, collo pedibusque gracilioribus ad cervum proxime accedit. Femina imprimis quum forma, tum colore paululum rufescente cervae simillima est.

Iam de singulis notis videamus, an cum philosophi verbis conveniant. Quod haud melius fieri arbitror, quam si Aristotelis verba cum cel. Hunteri descriptione compono. Aristoteles haec narrat: „Habet

⁽¹⁾ De part. anim. III. c. 2. p. 613. G. Κερατοφόρον δὲ μικρὸν πάντων οὐδὲν ἴσμεν, ἐλάχιστον γὰρ τῶν γνηριζομένων δορκάς.

⁽²⁾ *An account of the Nyl-ghau by William Hunter. Philos. Transact. Vol. LXI. p. 170 sq.* Effigiem praeterea dedit cel. Schreber. tab. 263. et feminam tab. 263. B.

etiam equicervus in armis villum prolixiorem et quod hippardion vocant animal; a capite ad armos usque tenuis utrique iuba, equicervus ad haec barbam ad guttur peculiarem habet. Utrumque cornigerum atque bisulcum; sed hippelaphi femina cornibus caret. Magnitudine cervos propemodum aequat. Nascuntur in Arachotis — Cornua equicervo dorcadum cornibus similia sunt.”

Ἐχει δὲ καὶ ὁ ἱππέλαφος ἐπὶ τῇ ἀκρωμίας χαίτην. Χαίτην villum prolixiorem verti, ne iubae nomine falsam notionem inducerem. ἐπὶ τῇ ἀκρωμίας Scaliger: summis in armis. Camus: „près de la naissance d'épaules.” Recte uterque. Idem in suo animali observavit Hunterus ⁽¹⁾, inter scapulas exiguum tuber adesse, quod in posteriori parte longiori pilo vestitum sit. Neque iuba deest, brevis, erecta, tenuis, in summa cervice ad armos decurrens, quae cum illis philosophi vbb: ἀπὸ δὲ τῆς κεφαλῆς etc. pulchre congruunt. Minus recte Cel. Camum haec vbb. accepisse puto, quum sic ea interpretatus sit: „mais le dessus de leur cou depuis cette partie (ἀκρωμίας dicit) jusqu'à la tête n'a que peu de crins.” — Χαίτην in hisce intelligendum esse, nemo non videt. Hoc enim dicere vult, ne illud quidem, quod equino generi tribuerat, in hisce animalibus deesse, sed iubam utrique quamvis breviorum in colli fastigio ad armos pertinere. Haec de iuba sufficiant. Quae tamen in aliis eiusdem generis animalibus saepius invenitur, ut dummodo patria et cetera conveniant, hippelaphum in multas antilopas referre possis. Maioris profecto momenti est, quod illi peculiare tribuit philosophus, barba scilicet ad guttur dependens. At ne haec quidem in nostro animali desideratur. Macula ad clypei instar, pulcherrima albedine splendens, guttur eius occupat, ac paullo inferius, qua collum leviter arcuatur, barba dependet, longis iisque nigerrimis pilis contexta ⁽²⁾. Illud vero κατὰ τὸν λάρυγγα non nimis urgendum puto, sed obiter tantum regionem indicare, quod a huius particulae (κατὰ) notione non alienum videtur. Ad haec λάρυγξ nomen latiori sensu apud Aristotelem occurrere memini, ut asperam

(1) There is a slight eminence over the shoulder-blades p.172. All along the ridge of the neck and back as far as the posterior part of the hump, which is over the shoulder-blades, the hair is blacker, longer and more erect, making a short and thin upright mane.

(2) Hunter p.173. At the throat there is a shieldlike spot of a beautiful white hair; an lower down on the beginning of the convexity of the neck, there is a manelike tuft of long black hair.

arteriam significet ⁽¹⁾. Quod forte Camum ⁽²⁾ adduxit, ut barbam per totum collum nasci putaret. At vereor equidem, ut sic πώγωνα recte se habeat; barba enim magis de pilorum fasciculo dicitur, qualis in hirco et in nostra antilope invenitur.

Iam de magnitudine utriusque videamus. Hippelaphi quantam cervi magnitudinem esse perhibet. Antilopen pictam cervo maiorem fecit Hunterus ac mensuras accurate exhibuit; quas si cum cervi magnitudine comparas, illam quinque digitis altiore invenies. Levis igitur inter utrumque differentia et quae vix in conspectum incidere potuit. Quin etiam summus Cuvier cervi magnitudinem huic antilopae tribuere non dubitat ⁽³⁾.

Maior de cornuum forma difficultas. Dorcadis enim cornua media parte recurvantur, apicibus deinde antrorsum et intus flectuntur, ut lyrae antiquae formam quodammodo ostendant. Annuli praeterea crebri totum fere cornu ambiunt, nec nisi apicem laevem relinquunt. Illius contra antilopae cornua pro corpore animalis breviora dicuntur, atque eleganter sic curvari, ut cavitas eorum intus et nonnihil antrorsum spectet ⁽⁴⁾. Hisce igitur nimium ab hippelapho discedit, nisi philosophus dorcadis cornua idcirco comparavit, ne quis, nomine deceptus, solida ac multifida, qualia cervo nascuntur, sed potius cava, simplicia intelligeret. Quod mihi tamen non arridet, sed duplicem nobis viam patere arbitror, qua hanc removeamus difficultatem. Aut enim illas antilopas, quas in Angliam transtulerunt, parum adultas fuisse suspicor, aut pullos dorcadum ab Aristotele visos esse. Certe dorcadum iuven-
cus quoad cornuum figuram Antilopae pictae apprime respondet. Iu-
nili enim aetate apices primum erumpunt, quae quum plerisque antilo-
parum laeves sint, annulorum rugarumque nihil in pullorum cornibus
conspicitur. Idem in antilope picta observatur, nisi quod annuli in ima

⁽¹⁾ H. A. I. c.10. ed. Schn. al. c.12. Αὐχὴν δὲ τὸ μεταξὺ προσώπου καὶ θώρακος· καὶ τούτου τὸ μὲν πρόσθιον μέρος λάρυγξ, τὸ δ' ὀπίσθιον στόμαχος.

⁽²⁾ In notis Tom.II. edit. p.206. *Le cheval-cerf a de plus une barbe sur le devant du cou, à la lettre, le long du larynx.*

⁽³⁾ Cuvier *le règne animal* Vol. I. p.264.

⁽⁴⁾ Hunter l.c. *The body and point of the horn is smooth. They rise upwards forewards und outwards at a very obtuse angle with the forehead. They are gently lended and the concavity is turned inwards and a little forewards.*

radice apparent, pro diversa aetate magis minusque conspicui ⁽¹⁾. Quodsi cornuum brevitatem in hac antilope consideras, corporis magnitudini minime congruam, non absonum videbitur credere, haec prima cornuum rudimenta esse, adultas vero multo maiora et aliter formata gerere. Si ex eorum figura, quatenus exstant, coniecturam facere licet, vetulis eadem quae dorcadi fore contenderim, quum talis eorum flexura ac forma sit, qualem dorcadum hinnuli ostendunt. Hoc vero temerarium nemini visum iri arbitror, qui maximam illam formae diversitatem, quae inter pullorum adulatorumque animalium cornua intercedit, in museo regio inspexerit. Praeclara huius rei argumenta cel. Ehrenbergii atque Hemp-richii indefessae scrutationi debemus, qui in itinere suo dorcadis, damae et addacis pullos una cum matribus miserunt. Inde apparuit, quae forma damae cornibus hucusque tribueretur, eam non nisi iuvenili aetate iis esse, sed adulatorum cornua ad dorcadis prope accedere. Nec minor in addace observatur differentia. Cornua adulatorum ad spirae instar contorta, annulis creberrimis ultra medium cincta, in rectum denique apicem exeunt. Qui quum in hinnulis primum appareat, cornua iis recta, glabra, ut orygis potius, quam huius pullos crederes. In dorcade similis et tanta diversitas, ut celeberrimos viros fefellerit. Pullis enim teretia ac laevia cornua sunt, tali modo curvata, quemadmodum apices adulatorum, sic scilicet, ut intus et parum antrorsum flectantur. Quum eadem cornuum flexura in antilope picta occurrat, apices fortasse sunt, quae tota cornua putantur. An vera hariolatus sim, dies ut alia multa docebit. Interim qui incautius haec et nimis temere fieri putant, alteram ac sane tutiorem ingrediantur viam. Hanc scilicet, ut Aristotelem dorcadum pullos vidisse statuunt. Quod veri simillimum videtur, si illa, quae supra posui, consideras: ἐλάχιστον τῶν γνωριζομένων (κερατόφόρων) δορκάς.

Sed ad reliqua revertor, quae in philosophi verbis comparanda restant. Dicit feminam cornibus carere; quod item in nostram antilopen quadrat. Omnes certe scriptores in eo consentiunt ⁽²⁾. Cel. Lich-

⁽¹⁾ Hunter l.c. *At the root there are slight circular wrinkles in proportion to the age of the animal.*

⁽²⁾ Cuvier *le règne anim.* l.c. Hunter l.c. Desmarest *Mammalogie* p.472.

tenstein antea huius feminam cornigeram esse contenderat ⁽¹⁾, nunc tamen ceterorum sententiae accessit, ut ex ipsius ore audiui.

Iam de loco natali videamus. Aristoteles hippelaphos in Arachosia gigni scribit, quae extrema Persiae versus orientem provincia fuit. Hanc terram trigesimo tertio circiter latitudinis et octogesimo tertio longitudinis gradu sitam fuisse, cel. Camus perhibet. Quod si ita est, patriam utriusque congruere apparet. Non enim, quod vulgo dicitur, Antilope picta Indiae indigena est, sed e remotissimis plerumque regionibus illuc adducitur. Bernier quum Delhis urbe Caschmirum proficisceretur, multas earum vidit, a magno Mogole in venatu interfectas. Unde apparet, hanc propriam huius bestiae patriam esse. Inprimis ad Indum flumen in boreali parte occurrit, quum ad Himelayae montes, qui Indiam a Tartaria separant, tum in Caschmiro, extrema Persiae regione ⁽²⁾.

Sic quidem omnia mihi videor attigisse; iam igitur ad ea transire potero, quae in Aristotelis loco hisce cohaerent. In prioribus *ἵππάρδιον* recte de camelopardali accipiunt, neque est, quod de eo plura disseram. At de nomine hoc volo addere, Cami lectionem *ἵππάρδιον*, quae duobus codicibus firmatur, vulgata *πάρδιον* magis placere, quamvis haec maiori codicum numero nititur. Haud enim mihi persuadeo, animal, quod magnitudine pardum longe superat, deminutivo ex eius nomine formato appellatum fuisse, quum praeterquam in maculis pardum in nullo referat. Contra alterum nomen magis ad Graecorum usum accedit, qui mixtis nominibus mixtam naturam designare solebant, quorum altero speciem, altero colorem vel aliam notam indicarent, veluti *καμηλοπάρδαλις*, *χηναλώπηξ*, *στρουθοκάμηλος* et alia multa. Deinde Canisianus haud multo post legit: *ἔτι δ' ἀμφότερα, ὃ τε βόναστος καὶ ἵππέλαφος κερατοφόρα*, adspirante uno codice Medic. Sed bonasi nomen ab interpolatore insertum duco, quem cornua in hippardio offenderent. Nunc nemo nescit, camelopardalin cornibus instructam esse, haec vero, secus quam in ceteris, corneo tegumento carere, quod egregie expressit Oppianus (Cyneg. III. v. 474.).

Ἐκ δὲ μέσης κεφαλῆς δίδυμον κέρας ἰθὺς ὀρούει
οὔτι κέρας κερύειν· παρὰ δ' οὐατα μεσσοῦσι κόρης
ἀβληχραὶ κροτάφοισιν ἐπαντέλλουσι κεραῖαι.

⁽¹⁾ *Magazin der Gesellsch. naturf. Freunde zu Berlin*, 6^r Jahrg. p. 173.

⁽²⁾ Hunter l. c. Desmarest *Mammalogie* l. c.

Restat, ut de bobus feris dicam, in eodem loco commemoratis. Breviter, ut solet, formam eorum describit: „Nascuntur autem hippelaphi in Arachotis, ubi et feri boves, qui a domesticis eodem modo differunt, quo apri a suibus. Nam aspectu nigri sunt, validique, curvato nasu et cornibus magis in dorsum reclinatis.” In quibus facillime bubalos agnosces, licet cel. Buffon hosce veteribus notos fuisse neget ⁽¹⁾. Peculiari nomine carebant, et feri boves appellabantur, fortasse quia domesticos ex iis originem traxisse putabant. Hoc virum celeberrimum fortasse fefellit. Mox tamen errorem agnovit, et in nostro loco bubalum postea intellexit ⁽²⁾.

Ἐπίγρυπτοι male Theodorus vertit: rictu leviter adunco. Rectius Scaliger: nasi tractus subaquilinus. Nam levem intelligit eminentiam in medio narium dorso, quam et in iis, quos vivos aspexi, et in musei regii exemplo observavi ⁽³⁾. In craniis iam videtur adesse, certe Daubenton in bubali descriptione eius meminit. Apparet etiam in sceleti effigie, in tab. XXVIII. delineata, et in cranio Asiatici bubali, quod cel. Cuvierus ⁽⁴⁾ in tab. X. ostendit, nasi ossa leviter curvantur. Quis praeter philosophum bubalorum meminerit, nescio; restant tamen in Aeliano nonnulla, quae huc referenda videntur, at nullius momenti sunt. Hic vero locus bubalos veteribus notos fuisse, manifesto docet. Et sane mirum esset, si nihil de iis scirent, quum non dubium videatur, quin bovem grunnientem et Arni noverint. Illum Aelianus satis luculenter duobus in locis descripsit ⁽⁵⁾, ut bovem grunnientem illico agnoscas. Iam Aeliani tempore longissima eius cauda muscas abigere solebant. Alterius cornua veteribus adportabantur, et ipsum animal conspexisse videntur. Hoc certe e Plinii verbis colligere licet, quae libro VIII. §. 70. leguntur: „Bubus Indicis camelorum altitudo traditur, cornua in latitudinem quaternorum pedum.” Huc etiam referenda, quae de maximis

⁽¹⁾ *Hist. naturelle* XI. p. 288. 296.

⁽²⁾ *Ibid.* in *historia Axidis* p. 403. not.

⁽³⁾ Buffon *hist. nat.* XI. p. 337. *Cependant la tête du buffle avoit le front un peu convexe, le chanfrein plus élevé.*

⁽⁴⁾ *Recherches sur les ossem. fossiles* IV. tab. X. fig. 7.

⁽⁵⁾ Praecipue in libro XV, 14. Βοῶν δὲ γένη δύο, δρομικούς τε καὶ ἄλλους ἀγρίους δεινῶς· ἐκ τούτων γε τῶν βοῶν καὶ τὰς μυιστόβας ποιοῦνται, καὶ τὸ μὲν σῶμα παμμέλανός εἰσιν οἷδε, τὰς δὲ οὐράς ἔχουσι λευκάς ἰσχυρῶς.

boum cornibus Aelianus refert. Hist. Anim. III, 34. Πτολεμαίῳ τῷ δευτέρῳ φασὶν ἐξ Ἰνδῶν κέρας ἐκομίσθῃ καὶ τρεῖς ἀμφορέας ἐχώρησεν. Οἷος ἄρα βοῦς ἦν, ὡς ἐκπεφυκέναι οἱ τηλικούτον κέρας.

§. 5. et 6.

De camelo disserit. In quibus quum cetera satis expedita sint, nonnulla difficillima videntur. In his §. 5. finem pono, ubi haec leguntur: Καὶ γόνυ δ' ἔχει ἐν ἐκάστῳ σκέλει ἓν, καὶ τὰς καμπὰς οὐ πλείους, ὥσπερ λέγουσιν τινες, ἀλλὰ φαίνεται διὰ τὴν ὑπόστασιν τῆς κοιλίας· καὶ ἀστράγαλον δὲ ὅμοιον μὲν βοῖ, ἰσχίον δὲ μικρόν ὡς κατὰ τὸ μέγεθος. Priora Scaliger sic interpretatus est: „In unoquoque crure genu unum neque plures plicaturae, ut aiunt quidam: verum tot videntur propterea, quod alvo subducta sunt.” In prioribus Herodotum respicit, qui camelos quatuor femora totidemque genua in posticis membris habere dixerat ⁽¹⁾. Non male, nam propius a vero aberat. Quum enim in pecore femora dicerentur, quae crura appellari debebant, incertus haesit, quo nomine femur vocaret, in camelo magis quam in aliis animalibus conspicuum. Pro suavissima simplicitate mox viam invenit, qua hanc difficultatem fugeret; quaterna iis femora tribuit in posticis membris, totidemque genua. Itaque philosophum potius, quam Herodotum reprehenderim, quod membrorum naturam tam parum intellexit. Is enim femur ἰσχίον vocat, quo rem nimis obscuram reddere solet, quia diversa eodem nomine appellat, ut nescias saepe, quid sibi velit. Sic, quum in avibus femora abdomini adstricta sint et sub communi corporis tegumento lateant, coxas (ἰσχία) haec appellat, sed femori simillimas dicit, ut quasi bina in quovis membro femora habere videantur ⁽²⁾.

In postremis vox ὑπόστασιν sine dubio corrupta est. Quum enim dicere deberet, haud plures camelo flexuras, quam ceteris animantibus esse, sed propterea ita videri, quod ventre altius subcincto coxae magis

⁽¹⁾ Herod. III, 103. Κάμηλος ἐν τοῖσι ὀπισθίοισι σκέλεσι ἔχει τεσσέρας μακροὺς καὶ γούνατα τέσσαρα.

⁽²⁾ De incessu anim. c. XI. p. 459. E. Αἰτίον δὲ μάλιστα τοῦ δίποδος ὄντας δύνασθαι ἐστάναι τὸ ἔχειν τὸ ἰσχίον ὅμοιον μακρῷ καὶ τηλικούτον, ὥστε δοκεῖν δύο μακροὺς ἔχειν· τὸν γὰρ ἐν τῷ σκέλει τὸ τῆς καμπῆς καὶ τὸν πρὸς τοῦτο τὸ μέρος ἀπὸ τῆς ἑδρας· ἐστὶ δ' οὐ μακρὸς ἀλλὰ ἰσχίον etc. De part. anim. IV. c. 12. p. 638. D. ed. Cas. Hist. Anim. II, 8, 1. ed. Schn.

apparerent, nunc fere contrarium dicit. ὑπόστασις enim de iis dicitur, quae subsident ac fundum petunt, ut de faece et sedimentis, aut de fulcro et fundamento quodam, quod aliis rebus subiicitur. Utraque notione ab Aristotele in physicis nonnunquam adhibetur. Sic de sedimentis, stercore atque urina hanc vocem usurpat⁽¹⁾. Altero significato in eodem opere dicitur⁽²⁾. Hanc autem significationem ab hoc loco alienam esse, nemo non videt. Neque altera aptior. Quin venter, si subsideret, femora magis occultaret. Quapropter haec vox rei non apta est, et iure interpretes in ea videntur haesisse. Theodorus „intervallum” interpretatur, unde ἀπόστασις eum legisse verisimile est. Hoc tametsi meliorem praebeat sensum, tamen Schneideri coniectura magis arridet, qui ὑπόστασις olim exstitisse suspicatur. Quod quum minus in usu esset, (nam nusquam, quod sciam, occurrit) librarii facillime in eo peccare ac vocem sibi magis familiarem huius loco scribere potuerunt. ὑποστέλλειν imprimis de velis dicitur, quae a nautis in angustum contrahuntur, deinde in alias res saepenumero transfertur, et comprimendi minuen-
dique notionem continet. Sic Aelianus in simillima re eadem utitur voce⁽³⁾. Castorem astute scrotum contrahere et ad ventrem apprimere narrat, ubi insidias sibi fieri senserit. Quamobrem hanc coniecturam ceteris praeferendam duco. Quam vero censor Schneiderianae editionis proposuit⁽⁴⁾, ut διάστασις legeretur, ea quidem tantopere a verbis abhorret, ut vix peiorem invenire queas. Nec minus celeb. Schneiderum in sequentibus verum vidisse arbitror. Vulgo ἰσχύον δὲ μικρόν, ὡς κατὰ τὸ μέγεθος. E codicibus nulla adnotatur varietas, nisi Rhenanum δὲ καὶ μικρόν praebere. At veteres versiones, Thomae scilicet et Vincentii, teste Schneidero nonnihil discrepant. In Thomae interpretatione haec leguntur: „astragalum quidem pticl’a⁽⁵⁾ (quod equidem non intelligo) sub toto skeleo, similem quidem bovi, turpe autem et parvum ut secundum magnitudinem.” Vides igitur, hunc locum antiquitus aliter scriptum fuisse. Quod etiam Plinii vbb. docent, a cel. Schneidero comparata (h. n. XI. §. 105.)

(1) De part. anim. II, 2. p. 600. C. ed. Cas. Cf. ibid. III. c. 8. p. 619. F. ed. Cas.

(2) Cf. quem supra posui locum p. 7.

(3) H. A. VI, 34. ὑποστέλλαντες τὸ σπουδαζόμενον μέρος πᾶν σοφῶς καὶ πανούργως ἐξάπατησαν, ὡς οὐκ ἔχοντες, ἀ κρύψαντες ἔχουσι.

(4) Hallische Allg. Literaturzeitung 1812. n. 121. l. c.

(5) Fortasse: in plica.

Camelo tali similes bubulis sed minores paulo. Est enim bisulcus discrimine exiguo pes imus, vestigio carnosio, ut ursi: qua de causa in longiori itinere sine calciatu fatiscunt." Haec manifesto ex nostro loco deprompta sunt et cum Thomae versione conspirant; at de talorum deformitate nihil dicitur. Hoc tamen, ut in sequentibus multa, potuit omittere. Ideoque felicissimam censeo Schneideri coniecturam, qua vulgatam ita restituit: καὶ ἀστράγαλον ὁμοιον μὲν βοῖ, αἰσχροὺν δὲ καὶ μικρὸν ὡς κατὰ τὸ μέγεθος. Leve huius scripturae vestigium in Rhenano restat. Quod ad rem, talum revera bovino simillimum inveni, ac magnitudine parem, ut eum corporis proportionem minorem dixerim. Ideoque si Plinii veterumque interpretum versionem plus quam codicum auctoritati tribuendum, nulla Schneideri coniectura melior.

Vulgata ceterum haud prorsus spernenda. Nam ad naturam non minus accedere videtur. Attamen in voce ἰσχίον haereo. Camus de lumbari regione intellexit; „la croupe est peu considerable," quod ⁽¹⁾ Daubenton in cameli descriptione confirmat et in bona quacunque effigie conspicitur. Iam igitur videamus, an verbis conveniat. Ἰσχίον triplice, quod sciam, notione ab Aristotele ponitur. Aut enim nates significat ⁽²⁾, quibus animalia carere dicit, aut lumbos sive femora animalium communi corporis tegumento comprehensa, quod saepius, aut eam denique regionem, qua femur trunco cohaeret ⁽³⁾. Si lumbos hic intelligere velimus, vide ne praedicatum nobis obficiat. Quis enim μικρόν non de eorum brevitate accipiat? At camelorum femora tibiam aequant, et longiora quam in aliis animalibus inveniuntur. Unde potissimum fieri credo, ut genua in hisce magis appareant, quo tamen et lumborum maciem aliquantum conferre puto. Si aliud quidquam legeretur, quod macritudinem eorum, non vero brevitatem exprimeret, non prorsus dubitarem. Nunc tamen ad tertiam notionem nobis confugiendum erit, ut de tota regione accipiamus, quam hodie sacram appellant, de pelvi igitur, in animalibus angustiori. Hanc quidem nostro loco aptissimam

(1) Buffon *hist. naturelle* XI. p. 244. *La croupe est maigre et avalée.*

(2) H. A. II. c. 2. §. 7. et c. 5. §. 5. ed. Schneid. De part. anim. IV, 10. p. 634. G. ed. Cas.

(3) Hanc quidem notionem ex Aristotele comprobare nequeo, sed apud Homerum occurrit. Il. V, 305.

Τῷ βάλεν Αἰνείας κατ' ἰσχίον, ἔνθα τε μῆδ' ὅς
ἰσχίον ἐντρύφεται· κοτύλην δὲ τὲ μιν καλέουσι.

censeo, sed eam de animalibus dictam, in Aristotele invenire non mini. Si camelum cum bove, cervo aliisque quadrupedibus comparas, huius pelvim multo quam in illis breviorē invenies. Hinc illa clunium infirmitas, hinc magna lumborum macies, quae cum tuberum singulari natura et reliqua corporis deformitate, foedissimam speciem efficit.

Quae deinde sequuntur verba ἔστι δὲ δίχῃλον καὶ οὐκ ἀμφῶδον satis luculenta sunt, nec quemquam in postremo haesitandum credo. Quid hoc verbo sibi velit, alio in loco apertius docet: d. part. III. c. 2. (p. 613. H.) τῶν κερατοφόρων οὐδὲν ἔστιν ἀμφῶδον· ἄνω γὰρ οὐκ ἔχει τοὺς προσθίους ὀδόντας. Si camelum prioribus in superiore maxilla dentibus carere dicit, hoc propter formam eorum fecit. Nam si verum quaerimus, duo adsunt, ossi intermaxillari inserti, sed caninorum specie et inter molares atque caninum alius utrinque, similis specie, ut si formam respicis, ternos in utroque latere laniarios inveniri dixeris. Hoc igitur Aristotelem decepit.

Maior vero difficultas in sequentibus lectorem manet, quam vereor ut totam removerit Schneiderus. Verba haec sunt: δίχῃλον δὲ ὥδε· ἐκ μὲν τοῦ ὀπισθεν μικρὸν ἔσχισται μέχρι τῆς δευτέρας καμπῆς τῶν δακτύλων, τὸ δ' ἔμπροσθεν ἔσχισται μικρὸν ὅσον ἄχρι τῆς πρώτης καμπῆς τῶν δακτύλων, ἐπ' ἁκρῇ τέτταρα, καὶ ἔστι τι καὶ διὰ μέσου τῶν σχισμάτων, ὥσπερ τοῖς χησίν· ὁ δὲ ποῦς ἐστὶ κάτωθεν σαρκώδης, ὥσπερ καὶ οἱ τῶν ἄρκτων· διὸ καὶ τὰς εἰς πόλεμον ἰούσας ὑποδοῦσι καρβατίνας, ὅταν ἀλγήσωσιν. Quae ita interpretatur: „posteriores pedes ad secundam usque digitorum flexionem, anteriores ad primam usque digitorum flexionem leviter divisi, in externa parte in duas partes vel digitos, explet autem fissurarum intervalla tale quid, quale et anseribus: pedis planta carnosā, ut ursis. Itaque in bellorum expeditionibus carbatinis calciant, cum dolore afficiantur.” An rectius, quam ceteri, haud equidem diiudicaverim. Non nego τὸ ὀπισθεν et τὸ ἔμπροσθεν de posterioribus et anticis pedibus dici, hoc enim ut saepius, ita mox in sequentibus occurrit. At haec si dicere voluisset, ἐν τοῖς ὀπισθεν, opinor, nec vero ἐκ τοῦ ὀπισθεν scripsisset. Deinde non intelligo, quid illud τέτταρα sit. Cel. Schneiderus: „Utrumque, ait, pedum par ἔσχισται μικρὸν ἐπ' ἁκρῇ τέτταρα i. e. divisum est in extrema parte in partes quatuor vel digitos. Vocabulum τέτταρα non est cum vocabulo δακτύλων copulandum; ita enim debebat esse τεττάρων. Sed ἔσχισται τέτταρα dicitur graece, intellecto εἰς ut διαιρεῖν.” Nihil hoc usu frequentius, at-

tamen vereor, ut hic aptum sit. Quam quidem difficultatem et ipse videtur sensisse, quum in versione de hac voce taceat. Philosophum igitur singulas ungularum partes hisce consummasse credit, ut, quum in unoquoque pede binae sint ungulae, quaternae in anterioribus, totidemque in posticis efficiantur. Hoc vèro languere videtur. Quum tamen pedum structuram, qualis in camelo sit, accuratius contemplari non mihi licuerit, neque apud ullum scriptorem quidquam de eo invenerim, rem in medio relinquere cogor. At eos volo admonitos, quibus camelos intuendi facultas, ut in hanc rem diligentius inquirant. Optima Daubentonii descriptio ⁽¹⁾ non omnem tollit difficultatem, quum quousque fissura pertineat, non memoret.

§. 9.

*Ἔστι δὲ καὶ τὰ μὲν κερατοφόρα, τὰ δ' ἄκερα τῶν ζώων· τὰ μὲν οὖν πλεῖστα τῶν ἐχόντων κέρατα δίχγηλα κατὰ φύσιν ἐστὶν, οἷον βοῦς, καὶ ἔλαφος καὶ αἶξ. μώνυχον δὲ καὶ δίκερρον οὐδὲν ὥπται. Μονοκέρατα δὲ καὶ μώνυχχα ὀλίγα, οἷον ὁ Ἰνδικὸς ὄνος· μονόκερων δὲ καὶ δίχγηλον ὄρυξ.

„Animalium alia cornuta sunt, alia ecornia. Maxima autem cornigerorum pars bisulca, qualis bos, cervus, capra; solidungulum, quod duobus cornibus praeditum sit, non invenitur. Unicornia et solidungula pauca sunt, veluti asinus Indicus; unicornis et bisulcus oryx.” In asino Indico quis non unicornu intelligat, dubium illud animal, de quo adhuc sub iudice lis est? Multae sunt virorum doctorum sententiae, qui ad aliud quoddam animal veterum narrationes referre studuerunt. An unquam exstiterit, an fabulae iudicandae sint, quae de iis antiquitas tradidit, nunc nemo mehercule dixerit. Hoc tamen sperare licet, si tale animal unquam in terra fuit, id quondam nobis detectum iri, ut alia multa, quae ad hunc diem fabulosa a multis iudicata sunt. Nuperrime ⁽²⁾ nova ad nos pervenit fama, a Rueppelio in litteris communicata; sed quum e servuli ore haec acceperit, parum fortasse fidei merentur. Ac sane nimis manca sunt, quam ut omnem dubitationem funditus removeere queant.

⁽¹⁾ Buffon hist. nat. XI. l. c. tab. X.

⁽²⁾ Froriep Notizen, Jahrg. 1825. n. 203. p. 74.

Sed qualiacunque sint, haud prorsus negligenda arbitror. Servus enim, non de eo interrogatus, sponte retulit, in sua regione ⁽¹⁾ animal degere, quod unico cornu praeditum esset. Bovem illud magnitudine aequare, sed forma ac gracilitate antiloparum esse dixit, pilo brevi ex flavo rufescenti, marem in fronte longum rectumque cornu gerere, quod in femina deesset. Hoc si verum est, ab Oryge certe differt. Is enim et in utroque sexu cornutus et diversi coloris est. Nec de leucoryge cogitandum, qui cornua leviter arcuata nec vero recta gerat. Miror Rueppelium de ungulis nihil addidisse, quod tamen maximi erat momenti. Antiqui omnes scriptores solidam ei tribuunt. Ceterum equum et asinum unicornem non diversos credo, licet ab eodem scriptore simul commemorentur. Aelianum dico, qui de hac re talia scripsit: Ἴππους μονόκερως γῇ Ἰνδικῇ τίκτει φασι, καὶ ὄνους μονόκερως ἢ αὐτὴ τρέφει ⁽²⁾. Diversa fortasse nomina in diversis libris invenerat. Idem accuratius hoc animal descripsit ⁽³⁾. Quum tamen e Ctesia omnia hauserit, propter fabulas, quarum permultas finxit, iure suspecto, non magna fide dignus videtur. „Sylvestres asinos, inquit, equis magnitudine inferiores in India gigni accepi, reliquo corpore albos, capite vero purpurae assimilato, qui oculis cyaneum fundant colorem; cornu eos in fronte gerere audivi, unum ac dimidium cubitum metiens, quod infra album, supra puniceum, medio nigerrimum sit.”

Haec Ctesiae morem redolent, qui flagrantissimis variisque coloribus sua ornare solebat. Non dubium videtur, quin philosophus ex eodem hauserit fonte. Nam ipse hoc animal non vidit. Dicit enim d. part. III. c. 2. ἔστι δὲ τὰ πλεῖστα τῶν κερατοφόρων δίχχλα. λέγεται δὲ καὶ μώνυχον, ὃν καλοῦσιν Ἰνδικὸν ὄνον. Non tamen Ctesiam principem huius fabulae dixerim cum cel. Schneidero ⁽⁴⁾; iam enim apud Herodotum prima vestigia deprehendere memini. Nam in Libya occidentali asinos cornutos gigni refert. IV. 191. ἡ δὲ ἀπὸ τούτου τὸ πρὸς τὴν ἐσπέριν, ἡ τῶν ἀρωγῶν, ὀρεινὴ τε κάρτα καὶ δασέα καὶ θηριώδης. καὶ γὰρ οἱ ὄφεις οἱ ὑπερμεγίστους καὶ οἱ λέοντες κατὰ τούτους εἰσὶ, καὶ οἱ ἐλέφαντές τε καὶ ἄρκτοι, καὶ ἄσπιδές τε καὶ ὄνοι, οἱ τὰ κέρα ἔχοντες etc.

⁽¹⁾ Coldagi.

⁽²⁾ Hist. anim. III, 41. ⁽³⁾ Ibid. IV, 52.

⁽⁴⁾ Schneid. ad poster. Aelian. locum.

Μονόκερων καὶ μώνυχον ὄρυξ. De oryge multa fabulantur antiqui. Sirii ortum primus praenoscit et sternutamento indicat ⁽¹⁾. Oderant eum Aegyptii, quod versus orientem solem finem reddere solet ⁽²⁾. „Orygem perpetuo sitientia Africae generant et naturae loci potu carentem et mirabili modo ad remedia sitientium. Namque Gaetuli latrones eo durant auxilio, repertis in corpore eorum saluberrimi liquoris vesicis ⁽³⁾.” Haec et alia multa de Oryge fabulantur. Postremum fortasse illius fabulae ansam praebuit, quae de dromade ad nostra usque tempora pervulgatur. Praeter Oppianum neminem novi, qui de forma orygis plura dixerit. Is tamen speciem breviter, sed graphice depingit, de moribus ac de robore uberius disserens ⁽⁴⁾. Colorem cum lacte comparat, qualis verno tempore esse soleat. Unde leviter eum flavo permixtum fuisse, verisimile est. Nihil de alia pictura dixit, genas solum nigrescere (μύλαις ἀμφὶ πρόσωπα μελαιομένησι παρειαῖς). Cornua acuta, nigra, in sublime surgunt, maximo robore praedita. Nihil praeterea de orygis forma memorat. Plinius alius notae mentionem fecit ⁽⁵⁾, pili scilicet in contrarium et ad caput versi. Quod quum in Antilope quadam inveniretur, Africae meridionalis indigena, hoc celeb. Pallantem induxit, ut eam veterum Orygem fuisse crederet. Hanc primum ita appellavit. Postea tamen, quum alia innotesceret bestia, illi nimis propinqua, at colore et cornuum directione diversa, mutavit sententiam et quum illi Orygis nomen fecisset, hanc Leucorygem vocavit, ut nominis similitudine indicaret, hanc veterum orygem videri. Color et patria sedes magis revera conveniunt. Nam in Nubia occurrit. Cornua Orygis, modo leviter arcuata. Color ex flavido albus, in collo et ad latera nonnihil in nostro specimine rufescit. Maculae in fronte et in naribus rufae, quas in vivo splendidissimas dicunt. Mirum nullam earum apud Oppianum fieri mentionem, qui quod picturam spectat non solet omittere. Haec vero de Oryge sufficiant. Illud fortasse mirum ac fabulosum videretur, quod orygem unicornem facit philosophus, nisi ad re-

(¹) Ael. H. A. VII, 8. (²) Id. ibid. X, 28.

(³) Plin. H. N. X. §. 94.

(⁴) Oppian. Cyneg. II. vs. 445 sq.

(⁵) Plin. H. N. VIII. §. 79.

centiorum observationes revocari posset. Cel. Lichtenstein oryges altero cornu mutilatos inveniri testatur, unde fabulam de unicornu ortam censet ⁽¹⁾. At Aristoteles disertis verbis dicit, cornu iis in media fronte nasci ⁽²⁾: ἔστι δὲ καὶ μονοκέρατα· αἷον ὃ τε ὄρυξ καὶ ὁ Ἰνδικὸς καλούμενος ὄνος. ἔστι δὲ ὁ μὲν ὄρυξ δίχηνλον ὁ δὲ ὄνος μώνυχον. ἔχει δὲ τὰ μονοκέρατα τὸ κέρας ἐν τῷ μέσῳ τῆς κεφαλῆς. Cel. Pallas in historia naturali Saigae huic interdum idem accidere testatur ⁽³⁾: „Certis testimoniis, inquit, consentientium venatorum, quos veraces alias expertus sum, plurium teneo, reperiri interdum, succenturiato ad alterum latus minori cornu, tricornes mares; reperiri aeque raro unicornes, cornu maiori monstroso varieque torto in media fronte instructos.” Fortasse philosophus orygem viderat, qui simili modo unum cornu idque in medio gestabat; et quum bicornes non nosset, omnes uno cornu praeditos credidit. Cornuum deformatio in orygem magis quam in ceteras cadere videtur, nec fortasse Aeliano ⁽⁴⁾ fides deneganda, si quadricornes oryges existere narrat. Quos tamen rariores fuisse, iam ex eo apparet, quod Indi tales orygem varietates rebus dono ferre solebant.

Quae deinceps sequuntur, talorum historiam continent. Quum tamen et per se satis expedita sint, et celeberrimorum virorum cura clarissimam lucem acceperint, iam hic finem facere libet, ne solitos dissertationis limites nimis excedam. Ceterum haec si non displicuerint, alia quondam et spero meliora de veterum zoologia disputabo.

⁽¹⁾ *Magazin der Gesellsch. naturf. Freunde zu Berlin*, 6^r Jahrg. p. 157.

⁽²⁾ *De part. anim.* III. c. 2.

⁽³⁾ *Spicileg. zoolog.* XII. p. 35.

⁽⁴⁾ *Ael. hist. anim.* XV, 14.

